3 1761 06863804 8

BD
431
E8

P. R. D. Dri Lappenberg professori

scriptor.

DE VITA,

MORTE ET RESURRECTIONE.

COMMENTATIO PHILOSOPHICO-DOGMATICA,

QUAM SCRIPSIT

JULIUS EVELT,

SS. THEOLOGIÆ DOCTOR, SACELLANUS DUISBURGENSIS, RELIGIONIS CATHOLICÆ IN GYMNASIO DUISBURGENSI DOCTRINAM TRADENS.

PADERBORNÆ,

IN BIBLIOPOLIO FERDINANDI SCHÖNINGH.

MDCCCLI.

BD
431
E8

LIBRARY
726694
UNIVERSITY OF TORONTO

PIAE MEMORIAE

A. V. P. WOLFGANGI KANNE,

CONVENTUS FRATRUM MINORUM DORSTENENSIS QUONDAM GUARDIANI,
PROGYMNASII PETRINI RECTORIS, SS. THEOLOGIAE DOCTORIS,
EIUSDEM AC PHILOSOPHIAE ANTEA LECTORIS,

PRAECEPTORIS DILECTISSIMI, DE SE OPTIME MERITI, MORTE
PRAEMATURA EX HAC VITA EVOCATI.

HASCE PAGELLAS DICATAS ESSE VELIT

SCRIPTOR.

Commentationem hanc, quae ad doctoris ss. theologiae gradum a venerabili theologorum ordine Friburgensi obtinendum conscripta erat, uberius exarare atque inprimis apparatu historico, patristico et literario magis copioso instructam sermone vernaculo foras dare suadentibus praeceptoribus et amicis constitueram. Quum vero in patriam reversus cura animarum aliisque negotiis distentus necnon praesertim bibliothecae amplioris usu destitutus propositum peragere hucusque non potuerim: specimen illud fere immutatum edere ausus sum, sperans, fore ut lectores benevoli quum aetatis tum linguae impeditioris rationem habeant totiusque opusculi aequos se praebeant iudices.

Duisburgi, prid. Cal. Aug. MDCCCL.

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/devitamorteetres00evel

DE

VITA, MORTE ET RESURRECTIONE.

Nisi divinitatis rationem diligenter excusseris, nescias humanitatis.

Minuc. Fel.: Octav. c. 17.

Quae sedecim ante saecula illustris ecclesiae Africanae presbyter Tertullianus scripsit: „Fiducia Christianorum resurrectio mortuorum" [1]) — haec usque ad nostram aetatem libenter profitentur omnes fidei divinae sincere addicti, carissimam praeteriti temporis traditionem, efficacissimam praesentis consolationem, spem denique futuri pulcherrimam hac in doctrina reconditam conspicientes et augustissimam Dominicae resurrectionis diem ceteris omnibus solemniorem recolentes. Quo universali fidelium sensu iam elucet, resurrectionem e sepulchro venturam inter ea, quae Salvator nobis contulerit beneficia nequaquam pro minimo esse habendam; splendidissimam potius finalemque victoriam vitae de morte, lucis de tenebris, gratiae de peccato ea reportatum iri. — Singularem nimirum faciem universa mundi conditio cunctaeque res humanae prae se ferunt: vitae mortisque, gloriae et contumeliae, libertatis atque servitutis stupendam quandam in se continent oppositionem, quae quidem eo maxime cernitur, quod animus corpusque communi studio et mutuo adiutorio in eadem natura humana operantes, funere tandem interveniente, subito atque praefracte, quamvis aegre nec sine magno agone separentur. Quo factum est, ut quicunque pulvere quotidiano non plane sordescebant, solvendo huic nodo, quo huius mundi res obstrictae reperiuntur, iam antiquitus omnes intenderent vires atque ex ipsius naturae indole et generis nostri origine illum explicare nec non spem vel timorem pro futuro

---

[1]) *Tertull.* de resurrect. carn. cap. 1.

praesagire conarentur.[1]) Attamen quemadmodum reliquas nostras necessitates, ita hoc quoque desiderium explevit religio christiana. Hac enim edocemur, quomodo homines ipsi peccando universam terram, virentem florentemque a Deo creatam, in magnum „Calvariae locum" commutaverint, in quo sola crux Redemptoris tropaei instar super ipsum erecta novae meliorisque vitae fiduciam eos haurire sinat, quicunque cognoscant Deum vivum et verum et, quem misit, Jesum Christum (Joh. 17, 3), „qui mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit."[2]) Deum O. M. conditorem vitae, hominem auctorem mortis, Deum-hominem principem resurrectionis pronuntians, hisce tribus articulis intime inter se coniunctis: de Deo creatore, de homine peccatore, de Deo-homine restauratore fides christiana doctrinam suam complectitur. Quod Deus dedit, Adamus abstulit, Christus reddidit. Hae veritates, quarum totidem vivi testes existentia mundi, experientia mortis et eventum Dominicae resurrectionis evadunt, sunt quasi lapides angulares, quibus illa sustinetur; ita ut uno sublato vel inverso totum mox aedificium labefactetur.

Eo, quem indicavimus, modo revelata religio aenigmatis illius explicationem praebet eo magis dilucidam, quo arctiore vinculo cum interiore sensu nostro cohaeret, quippe cui in animo nostro conscientia numinis, horror peccati et mortis et spes restitutionis suffragentur. Nihilosecius illud praesertim eventum, quo ultimam cladem morti inferendam esse credimus, resurrectio videlicet mortuorum, inde a tempore Sadducaeorum et

---

[1]) Merito observabat *Fridericus Schlegel:* „All' unser Wissen . . . ist nur ein Ahnen, Rathen und Errathen, Vermuthen, Suchen und immer wieder von neuem Versuchen, ob es uns nicht endlich gelingen möchte, das Geheimniss des Lebens zu entschleiern und den wunderbaren Proteus wissenschaftlich zu ergreifen und zu fesseln; oder auch die sibyllinischen Inschriften auf allen diesen übereinandergehäuften Reihen und Schichten von Gräbern, aus welchen der grosse Körper der alternden Natur besteht, vollständiger als bisher zu entziffern, und so etwa den Schlüssel herauszufinden, um das bei weitem grössere und grösste aller Räthsel, das Räthsel des Todes, für das innere Verständniss zu erklären und zu entsiegeln." *Friedr. von Schlegel,* Philosophie des Lebens. Wien 1828. S. 93.

[2]) Praefatio paschalis.

Hymenaei et Philetae (II. Timoth. 2, 18) continuo permultos habebat adversarios; unde iam s. Augustinus affirmare non dubitavit: „In nulla alia re tam vehementer contradicitur fidei christianae, quam de resurrectione mortuorum.“ [1]) Nec mirum. Haec enim mortis vincendae fiducia fastigii instar imponitur toti religionis christianae systemati, cuius fundamentum est ea mundi praesentis contemplatio, secundum quam quidquid bonitatis, felicitatis, pulchritudinis animadvertimus, non ad nosmetipsos auctores, sed ad fontem mundo superiorem referamus, qui et initio omnibus rebus dedit, ut existerent, et proprio motu in ruinam lapsis, ut reviviscerent, clementer procuravit. Huius vero doctrinae negatio ex ratione de praesenti rerum statu iudicandi omnino diversa vel procedit vel ad eam perducit; quae in ipsa mente nostra corrupta magno fruitur adiutorio. Quemadmodum enim quondam generis nostri parens vinculo, quo Deus eum sibi ligaverat, soluto, non humili obedientia, sed propriis viribus vitae immortalis particeps fieri maluit, ita non solum, quo tempore regnabat peccatum, sed etiam capite serpentis per Christum contrito, permulti filii parentibus non dissimiles atque eadem superbia elati gratiam et veritatem non Deo, sed sibimetipsis debere volebant. Dum scilicet ecclesiae, „abest gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi,“ „in quo solo valet nova creatura“ (Galat. 6, 15); dum nihil scit et praedicat, nisi Christum crucifixum (I. Corinth. 2, 2): quaevis haeresis eo ducebat originem, quod ab humilitate crucis Christi abhorreret; atque (ut s. Irenaei verbis utar) „unusquisque (haereticorum) omnimodo perversus semetipsum praedicare non confunderetur.“ [2]) Quum autem ulla re misera hominum conditio necnon divinae in eos bonitatis abundantia non magis inculcetur, ulla re humilitas non magis commendetur, quam hac doctrina catholica de morte et resurrectione, perspicuum fit, quantopere iam formali cuiusque haereseos indoli ea ratio adversetur, qua fides christiana singulare illud mortem inter vitamque duellum explicandum et componendum docet. Altera autem maioris momenti ratio huc accedit. In quovis enim systemate, in quavis doctrina character

---

[1]) Cf. *Augustini* enarr. in ps. 88.

[2]) *Irenaeus*, advers. haeres. Lib. III. c. 2. no. 1.

formalis et materialis, principium cognoscendi et principium essendi, q. v., parem sectantur viam: quod non solum historia, sed etiam res ipsa suadet. Quemadmodum igitur religio christiana auctoritatem ingenio nostro superiorem constituit, quam in acquirenda veritate ducem sequamur, ita etiam existentiae et vitae totius mundi principium sublimius atque coeleste praeponit. Haeresis vero eodem se emancipandi studio, quo formaliter a regula fidei abhorret, etiam quoad doctrinam ipsam instigatur, et postremo eo progreditur, ut naturam eiusque vim vitalem in locum supremi rerum conditoris substituat.[1]) Quicunque quoad intellectum auctoritatem superiorem respuunt, viam ingrediuntur, quae a Rationalismo in Naturalismum procurrit et in Pantheismo terminum assequitur. Omnes haereses a nota Pantheismi prorsus immunes non sunt, sed potius ad eum propendent.[2]) Quum autem ullo fidei capite arcta, quae Deum inter et naturam intercedit relatio, evidentius non appareat, quam resurrectione mortuorum, patet, quo factum sit, ut ab initio haeresis singulare quoddam studium in eo collocaverit.

---

[1]) Haec analogia seu potius aequalitas principii formalis et materialis q. v. maxime cernitur in philosophia recenti in Idealismo Fichtiano atque in energia, quam Hegelius Conceptibus vindicabat.

[2]) Nusquam tritum proverbium, quo „extrema se tangere" dicuntur, evidentius probari affirmaverim, quam propensione, qua haereses, quae a recto veritatis tramite ad dextram et sinistram aeque distare sibique invicem omnino adversari videntur, nihilosecius conveniant et commisceantur, neque raro ex assertionibus omnino contrariis eandem ethicam gerendi rationem efficiant. Sic v. g. utraque corruptio, quae ex Doketismo et Judaísmo, quorum quum origo tum indoles omnino diversae erant (cf. *Möhler*, Symbolik S. 367 ff. 5. Aufl.), fidei christianae imminebat, miro quodam modo in doctrina Cerinthi coniuncta reperitur; ipsique veritatis genuinae defensores, e. gr. Ignatius, utrumque simul erroris genus iisdem argumentis velut uno ictu impugnare videntur. Similiter in doctrina Ariana duarum haeresum sibi invicem plane oppositarum evolutio conspicitur; quippe quae cum Antitrinitariorum, q. v., vestigiis insistere, tum Gnosticorum de aeonibus et numinibus intermediis commenta abbreviasse videatur. Hac autem in re rationem affinitatis eruere non est difficile. Nihil refert nimirum, utrum is, qui Filium Patri consubstantialem neget, aut *extollendis* in persona Christi *proprietatibus naturae humanae*, aut *deprimendis* vel depravandis Gnosticorum more *divinis* eo perveniat,

ut illam energia et propria significatione privaret atque e contrario mortem non solum naturalem proponeret, sed insuper velo quodam transfiguraret. Hoc autem fieri non potuit, quin non modo dogma de redemptione et de peccato originali labefactaretur, sed differentia quoque spiritum inter et naturam qualitativa auferretur atque omnino eiusmodi evolutio huius mundi praedicaretur, ex qua res universae unius modo substantiae essent manifestationes. Quare concedamus, quicunque propriam et genuinam mortis et resurrectionis indolem tollere nitantur, eos hoc conatu universo religionis christianae munimento vim inferre. Sunt hi revera tales, „quorum sermo ut cancer serpit, qui a veritate exciderunt, dicentes resurrectionem esse iam factam, et subvertunt totam fidem christianam." II. Timoth. 2, 17—18. Etenim, dum cuncta ecclesiae symbola a laude Dei creatoris ad Christum peccati destructorem progrediuntur atque per professionem venturae resurrectionis finiuntur: isti a negando ultimo symboli articulo incipientes non solum Christum restauratorem, sed mox etiam necessario hominem peccatorem ac denique Deum creatorem infitiantur. Nos scien-

---

ut in Christo numen quoddam inferioris ordinis veneretur. Hoc modo Christum in loco coelum inter terramque medio qui constituunt, quaecunque ratione hoc faciunt, utraque dualismum, qui divinam inter humanamque naturam intercedit et solummodo utriusque unionem hypostaticam, neutiquam vero commixtionem permittit, confestim evertunt. — Ita quoque generatim Deismus et Naturalismus, qui Deum in solitudinem quodammodo redigunt, quamvis Pantheismo funditus contrarii videantur, propter nimiam tamen, quam mundo et praesertim naturae humanae concedunt, autonomiam in fines istius transeunt. Philosophia Alexandrina, quae ex doctrina fundamentali rigidam Dei mundique separationem constituebat, eadem hac doctrina impellebatur, ut per numen inferius (λογος), quod inducebat, Pantheismo aditum panderet. — Omnino denique unaquaque doctrina, quae a dogmate ecclesiastico recedat, huius fundamentum, Incarnationis videlicet et Trinitatis mysterium magis vel minus impugnari patet. Hoc autem fieri nequit, quin Filio consubstantiali inferior vitae divinae evolutio substituatur, i. e. mundus pro essentiali Dei manifestatione habeatur; in qua cogitandi ratione Pantheismus consistit. Nam utrum universus rerum ordo, an unus modo spiritus praestantior ex Deo prodiisse affirmetur, perrupto semel divinitatis circulo, quoad essentiam systematis nil refert.

tes, „quoniam Filius Dei venit et dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum et simus in vero Filio eius," credimus in „verum Deum et vitam aeternam." I. Joh. 5, 20. „Omnis autem spiritus, qui solvit Jesum, est Antichristus" I. Joh. 4, 3; „qui autem negat Filium, nec Patrem habet" I. Joh. 2, 22; sed sicut semetipsum sui salvatorem constituit, ita simul cum creatione secunda per Christum impetrata etiam creationem primam aspernatur. [1]) Quemadmodum igitur doctrina catholica de morte et resurrectione cum universo religionis christianae systemate arcte cohaeret: ita adversaria ex parte necesse est, ut ii omnes, quibus illa non arridet, omnino diversam proferant rationem, ex qua praesentem rerum statum explicare studeant. Nostra autem aetate revera eo iam progressi sumus, ut non solum, sicut antea, de resurrectione vel morte, passim promulgentur sententiae a fide christiana alienae, ut potius *tota quaestio ad ipsa principia descenderit,* ac quidquid contra doctrinam christianam de morte et resurrectione proferatur, eo proveniat, *quod talis modo vita iam concedatur, in qua mors naturalem et necessarium, resurrectio autem nullum omnino aut non nisi fictitium locum occupet.* Quo studio cunctae res humanae hoc aevo proripiuntur, ut ex supremis diversarum partium sensibus et desideriis constituantur, eodem etiam scientia dirigitur; quo fit, ut iam non amplius tantopere de singulis quaestionibus, quanto de fundamento ipso lis agitetur. Inde factum est, ut contra avitam quoque conditionis nostrae contemplationem, qualis a fide christiana proponitur, diversa prorsus vitae consideratio in aciem sit producta, ex qua totum, quod in hoc mundo vitam inter mortemque, corruptionem inter et sanitatem apparet duellum, non eo modo explicatur, ut in praesenti conditione *perversio ac depravatio* vitae ex origine vegetae et immortalis. atque aegrotantis sanandae initium comprehendatur, sed ita potius, ut *aegritudo necessaria sanitatis comes, mors continua vitae sodalis* pronuntietur; quippe quae sententia vitam vitaeque fontem, eo qui in natura externa scaturit, celsiorem non agnoscat.

---

[1]) Hucusque quamvis haereses non omnes progrediantur, inest tamen iis haec inclinatio, cui decursu temporum sensim magis indulgent.

Quaestio igitur, unde singulare illud in hoc mundo certamen derivandum sit, quae semper omnium animos occupabat, nostra aetate in quaestionem de suprema et primitiva omnium, quaecunque existunt, causa, *de qualitate vitae ipsius per eminentiam sic dictae* mutata et redacta est; ita, ut ex ratione demum, qua vita absoluta intelligatur, etiam de morte et resurrectione sententia feratur. — Quum autem religio christiana vitam veram et genuinam, vitam proprie sic dictam in semetipsa perfectam solummodo in alma Trinitate divina existere nos doceat, sententiam pernotam, a. s. Augustino de hoc Trinitatis mysterio prolatam, ad rem, de qua nunc agitur, transferre licebit. Quae de fide Trinitatis s. doctor animadvertebat dicens: „Nec periculosius alibi erratur ... nec fructuosius aliquid invenitur" [1]) — omnino de sententia quoque valent, quam sibi quisque de vita, morte et resurrectione effinxit; quum res ipsa suadeat, quantam non solum ad praesentis vitae contemplationem, sed etiam ad summam naturae nostrae sortem rite definiendam haec sententia habeat vim. Quo magis vero doctrina, quam fides revelata de hac quaestione proponit, quae olim a tot millibus hominum consolatione destitutis cupidissime excipiebatur, hoc aevo velut insana exploditur, atque sententia omnino contraria omni, qua fieri potest, industria et sagacitate commendatur, eo firmius Christianis persuasum esse debet, validum in vita praesenti tot variis casibus modo faustis, modo adversis obnoxia praesidium nec non certam futurae spem non nisi ex eius ore repeti posse, qui se resurrectionem et vitam appellabat! [2]) Quemadmodum autem generatim quaestiones, quae ea aetate, quae nobismet contingebat, in foro publico agitantur, privatam quoque meditationem eo magis excitant, quo maioris momenti esse agnoscuntur: ita etiam, quum de commentatione ad obtinendum doctoris ss. theologiae gradum scribenda cogitarem, sine longa mora consilium cepi, ut de vita, morte et resurrectione, de

---

[1]) *Augustin.* de Trinit. L. 1. c. 3.

[2]) „Défendre la religion catholique, c'est donc défendre nos dernières espérances" — exclamabat strenuus quondam fidei defensor, nunc vero apostata. *De la Mennais,* Essai sur l'indiffér. tom. II. preface, pag. 14.

quibus hoc aevo tot falsae vagaeque assertiones divulgantur, paucis dissererem. Haud quidem dubito, ad verba s. Augustini, quae supra in hanc rem accomodavi: „Nec periculosius alibi erratur, . . . nec fructuosius aliquid invenitur," etiam illa addere, quae media inter haec scripta leguntur: „Non difficilius aliquid quaeritur." Attamen sponte patet, hoc specimen eo consilio nequaquam esse conscriptum, ut copiosam atque universalem doctrinae christianae de vita, morte et resurrectione expositionem et defensionem susciperem. Id potius spectabam, ut doctrinae huius compendium quoddam proponerem atque iis, quae a viris praeclaris de hac re in praesidium fidei et in usum scientiae christianae ingenue excogitata atque egregie dicta prodiissent, velut fundamento in probanda eius veritate inniterer. — Hisce praemissis rem ipsam aggrediamur.

§. 1.

Religio christiana et philosophia adversaria, quamvis duarum instar acierum sibi opponantur, de una tamen re, velut de planitie, in qua rixentur, inter se conveniunt. Utraque videlicet super eam existendi formam, qua singulae et individuae huius mundi res fruuntur, eminentem vitam excelsiorem, ex qua quaevis vita individua originem ducat, necessario agnoscit. Quicunque nimirum quum se ipsos tum alios agere et intelligere sentiunt, *praeter eiusmodi vitae genus speciale* vitam superiorem, ex qua istud oriatur, profiteri non dubitant. Tantopere autem hoc inter omnes constat iisque persuasum est, ut ipsi San-Simoniani hac de causa ridiculum esse asserant, si quis Deum credere nolit, quia, cum quisquam sanis sensibus instructus de sua aliorumque vita dubitare nequeat, ultro impellamur, ut singulis hisce vitae generibus universalem vitae fontem supponamus.[1]) Quemadmodum igitur religio revelata et Pantheismus in confessione entis absoluti q. v. non dissentiunt, ita etiam utrique systemati hoc ens absolutum, eam ob causam, quod sit ens absolutum, *vivum simul et activum* cogitandum est; quia sicut singulis rebus principium originis, ita cuivis manifestationi vitali supremum vitae fontem assignare cogimur. — Hanc uni-

---

[1]) Cff., quae cl. *Möhler* de San-Simonianis memoriae tradidit. — Huc quoque spectat s. Augustini effatum: „Intuere, utrum recte dici possit vitam ipsam non vivere, qua fit, ut vivat, quicquid non falso dicimus vivere. Puto enim absurdum tibi videri, ut per vitam vivatur et vita non vivat.“ Aug. epist. 222. ad Consentium.

versalem et omnium mentibus obversantem vitae notionem, qualem ex interna externaque experientia abstrahimus, paulo accuratius exponamus.

„Vitae nomen," inquit s. Thomas, „ex quodam exterius apparenti circa rem, quod est movere se ipsum; non tamen impositum est hoc nomen ad hoc significandum, sed ad significandam substantiam, cui convenit secundum naturam suam movere se ipsam vel agere se quocunque modo ad operationem. Et secundum hoc vivere nihil aliud est, quam esse in tali natura, et vita significat hoc ipsum, sed in abstracto; sicut hoc nomen: cursus significat ipsum currere in abstracto. Unde (vivum) non est praedicatum accidentale, sed substantiale."[1]) Similiter Plato iis vitam attribuit, quae causam operationis in semetipsis haberent, et vitae criterium constituebat *το ἑαυτο κινειν*.[2]) Ex hisce similibusque definitionibus[3]) patet, quod vita generatim ea sit motio, qua principium vel suppositum quoddam internum procedendo se manifestet, suppositi huius apparitio et evolutio, entis alicuius existentis affirmatio et comprobatio; quod tantopere persuasum habemus, ut ubicunque motionis seu agilitatis vestigia nobis occurrunt, statim ens, quod moveatur, supponamus. Omnis nimirum evolutio (formaliter saltem) supponit involutum, quod ex mera potentia in actum perducatur. Ex hac autem cogitandi ratione, quam instituimus, iam consequitur, quod duplicem vitae speciem distinguamus, quarum altera in externa natura cernatur et in formanda materia procurrat, altera in mente nostra recondatur et rationes investiget.[4]) Animus enim noster, quia ex operationibus suis ad se ipsum velut harum causam regreditur, etiam iis phaenomenis, quae ad se referre nequit, principium

---

[1]) *Thom.*, Summa theol. P. I. quaest. 18. artic. 2.

[2]) Cf. *Tennemann*, Geschichte der Philosophie. Bd. II. S. 408. — Unde Plato, quum dualismum, qui animum inter corpusque intercedit, perspectum non haberet, soli animo vitam concessit, corpus vero massam mortuam existimavit.

[3]) Cf. *Staudenmaier*, Dogmatik Thl. III. S. 291. Nota 2.

[4]) „Rationem (vero) dico animi probabilem motum, qui per ea, quae conceduntur atque nota sunt, ad aliquod ignotum ducit, perveniens ad veritatis arcanum." *Cassiod.*, de anima c. 4.

vitale a semetipso diversum tribuere cogitur. Prius vitae genus posteriori cedit dignitate; quippe quod solummodo *in effingendo et evolvendo* conspiciatur neque iterum ad unitatem perveniat. Omnis videlicet vita, quum sit entis alicuius manifestatio et affirmatio eo plerumque excitata, ut contra alienas impugnationes se conservare et confirmare studeat, finem (Ziel und Abschluss) in semetipsa utique habere nititur et ex pluralitate in unitatem tendit.[1]). In animis nostris igitur vitam magis perfectam reperiri, quam in regno naturae, nemo infitiatur. Ob eandem autem unitatem, quam animus in se invenit, duobus hisce vitae generibus repertis: sui ipsius videlicet et naturae externae, ulterius progreditur necnon ut unum quoddam vitae principium originale, ex quo quadam ratione omnis vita primitus derivetur, statuat, sine mora adigitur.[2]) — Hic vero locus iam est, ex quo omnia religionis et philosophiae systemata, hucusque affirmando ens absolutum, vitam in se ipso habens, unita, vias ingrediuntur ita divergentes, ut reconciliari non amplius possint; — locus, inquam, ubi iam quaeritur, utrum vitae an morti principium et hac de causa etiam principatus eorum, quae existunt, concedatur. —

Ubicunque animus hominum naturae impetibus se non opponebat, sed irruentibus illis obsequebatur, ibi etiam vita spiritalis eiusque conscientia in dies detrimenta capiebat, natura vero externa potestatis instar apparebat, cui resistere non auderent. Quid mirum, si animo a libertate in necessitatem quodammodo detruso una solummodo vis vitalis existere videatur, quae formet terram, quae vigeat in plantis, quae sentiat in animalibus, que cogitet in hominibus? Principium cogitationis spiritalis principio vitae animalis eo facilius appropinquari et pro celsiore tantum huius gradu haberi poterat, quo arctius in natura humana maturitas animi et corporis plerumque coniungitur. Hac observatione innixus Lucretius differentiam animum inter corpusque existentem negare iam tentabat dicendo:

---

[1]) Cf. *Pabst*, Adam und Christus §. 2.

[2]) Cf. *Pabst*, Januskӧpfe, S. 11.

Praeterea gigni pariter cum corpore et una
Crescere sentimus pariterque senescere mentem.[1])

Pagani igitur rebus externis omnino dediti eorumque servitio implicati sponte illud, quod in regno naturae operatur vitae principium unicum et absolutum existimabant. Neque ipsi qui inter eos existebant philosophi fontem vitae mundo omnino superiorem admittebant. Quae vero ab hisce proposita sunt placita de suprema vitae origine et evolutione, a religione christiana impugnata quidem, sed non plane exterminata sunt. Decursu temporum potius res eo pervenit, ut nunc iam ista doctrina omnibus formae scientificae apparatibus instructa cum fide revelata de summo imperio certare audeat. Quicunque huic philosophiae nomen dederunt, licet de rebus minoris momenti dissentiant, eo tamen conveniunt, ut in omnibus hisce rebus, formis et operationibus, quae oculis mentibusque nostris obversantur neque raro adversantur, unam modo eandemque substantiam evolutam conspiciant, quae *conceptus instar universalis, qui per genera et species ad individua descendit*, ex indifferentia primitiva procedens per differentias paulatim auctas et multiplicatas continuo a generalioribus ad specialia ac denique ad individua se evolvat et singulas res vigoris illius generalis parum vel multum participes constituat, donec tandem in natura humana sui ipsius conscia fiat. Principium illud vitale est velut fons uberrimus, essentiam in rivos eorumque ramos diffundens. Quo amplior rivus, quo maiorem copiam ex fonte accepit; eo magis fontis ipsius virtutem in se continet; eo melior simulque eo vegetior est atque vim eo efficaciorem in se continet existendi; sive, ut imaginem relinquamus: quemadmodum *specialis* notio formalis eo excelsior est, quo propius ad notionem generalem accedit, ita locum eo augustiorem quaevis res in hoc mundo occupat, quo magis in ipsa principium illud generale repraesentatur. Quum vero hoc integrum non amplius in se persistat, sed in differentias singulas se dissolverit, fieri non potest, ut una pars totum principium generale in se contineat; unde evenit, ut omnia individua *quum*

---

[1]) *Lucret.*, de nat. rer. Lib. III.; — quam assertionem impugnabat Lactantius, institt. divin. Lib VII. cap. 12.

mali tum mortis semen in se recondant. Prima igitur manifestatio vitae, secundum hanc doctrinam mali simul et mortis exordium est; quaevis res quatenus individuam existendi formam sibi vindicat atque vitae universali adversatur, eatenus manca et vitiosa est; *militia* haec simul *malitia* est. Quare nec malum bono opponitur, neque mors vitae; malum e contrario solummodo est boni appendix; et mors mali poena eo tantum sensu appellari potest, quem nota ista exprimit sententia:

„Denn Alles, was entsteht,
„Ist werth, dass es zu Grunde geht."

Magnopere quidem huius philosophiae asseclae enituntur, ut religionis christianae doctrinas in usum suum convertant. Jam indicavimus, quomodo neque labes *revera originalis,* neque mors poena culpae huic singulari (!) debita apud eos desideretur. Quid mirum, si etiam mortem pro expianda hac culpa obeundam apud illos invenerimus! Singulae videlicet res quum tam bonae sint, quantopere principio generali inhaereant, tam vero malae, quatenus particulares sint, atque etiam de hominibus ipsis haec assertio praedicetur: efficitur, ut morte obeunda debitum illud, quod eo, ut existentiam individuam continere ac firmare tentaverint, contraxerunt, postea solvant, oppositionem auferant sibique decedendo viam pandant, qua ad fontem generalem redeant et in eo vita vera potiantur.[1]) Ex hoc defectu, qui individuis necessario inest, causae quoque omnium dolorum et passionum intelliguntur, quae ex pugna inter vitam generalem et particularem instituta et percepta oriuntur; qui vero labor et dolor obitu sponte finitur. Huic mortis necessitati tantummodo horrendi aliquid inest, quatenus individua in se ipsis subsistere tendunt; vitae autem universalis, ad quam per eam revertimur, ratione habita, funus horrorem amittit; quum ea, quae per vitae decursum considerando tantum animumque elevando dilatari poterat angustia conditionis nunc iam omnino exuatur! Soli principio generali vita convenit continua in immensum procedens; quaecunque vero ex eo nascuntur individua per parvum temporis spatium efflorescunt ac deinde

---

[1]) Cf. *Hegel,* Phänomenologie S. 335. 336. *Staudenmaier,* Darstellung und Kritik des Hegel'schen Systems. S. 834.

marcescunt, ut ex eorum partibus dissolutis novae formationes exsurgant. — Omnino ex hac doctrina, quam modo adumbravimus, in mundo rerumque decursu unius modo vitae generalis evolutio cernitur, quae, etiamsi vita individua morti obnoxia sit, sensim tamen, non interrupta vel impedita, recto tramite ad celsiora ascendit, infinito gaudens progressu; neque, ubi terminum assequatur, comprehendimus.[1])

§. 2.

Veruntamen ab hac doctrina, quam recens incredulorum philosophia de vita et morte excogitavit, merito abhorret pia Christianorum fides, rationibus quum ethicis tum theoreticis permota, ut illam respuat. — Ad priores quod attinet, religio christiana, quamvis partes eorum, qui solummodo ex rationibus ethicis regulam veritatis constituunt, neutiquam suscipiat et tueatur, iure tamen praesumit, luce veritatis iucundum quendam calorem moribus quoque componendis affundi et hac de causa eam non veretur adhibere mensuram, quam Salvator innuebat dicendo: A fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor bona malos fructus facere! Matth. 7, 16. 18. Jam vero neminem, qui remoto eruditionis apparatu, quo istam doctrinam fulcire et commendare student, sinceros oculos in eam defigere velit, fugere posse arbitramur, quantopere ista philosophorum placita et quae ex iis resultet vitae contemplatio ei conveniant loquendi generi, quod in libro Sapientiae de improbis traditur, qui „dixerunt cogitantes apud se non recte: Exiguum et cum taedio est tempus vitae nostrae. et non est refrigerium in fine hominis, et non est, qui agnitus sit reversus ab inferis. Quia ex nihilo nati sumus, et post hoc erimus tanquam non fuerimus, quoniam fumus flatus est in naribus nostris et sermo scintilla ad commovendum cor nostrum, qua extincta cinis erit corpus nostrum et spiritus diffundetur tanquam mollis aër, et transibit vita nostra tanquam vestigium nubis et sicut nebula dissolvetur. quae fugata est a radiis solis et a calore illius aggravata. Et nomen nostrum oblivionem accipiet per tempus. et nemo

---

[1]) Cf. *Staudenmaier*, l. c. S. 466.

memoriam habebit operum nostrorum. Umbrae enim transitus est tempus nostrum et non est reversio finis nostri. quoniam consignata est, et nemo revertitur. Venite ergo et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tanquam in iuventute celeriter" ... Sapient. 2, 1—6. Neque id mirum. Breve videlicet vitae spatium eos, qui huiusmodi sententiam de conditione humana amplectebantur, stimulabat ut quolibet temporis momento genium placarent: immo vero mortis futurae cogitatio velut condimentum aliquod acuebat sensum laetitiae praesentis; quo enim facilius quispiam cras mori poterat, eo exoptatius accidebat, si hodie adhuc salvus esset atque incolumis.[1]) Quae autem nostra aetate divulgatur philosophia, quam proposuimus, eidem cogitandi et agendi normae, etiamsi verborum involucris intectae, necessario favet. Doctrina nimirum, qua malum ethicum et physicum confunditur, iis legibus et eventis, quae in natura externa singulas res, ut existentiae praesentis et mox desinentis maximopere rationem habeant, impellunt. etiam conditionem humanam subdit, neque ullo modo impedire poterit, quominus, simulac secundum ipsam conversatio instituatur, eadem corruptio, perversitas, inconstantia atque desolatio emergat, quam ex simili vitae praesentis consideratione apud antiquos vigentem descripsit E. Lasaulx in commentatione: De Mortis dominatu in veteres.[2]) „Cor enim humanum" — ut verbis s. Augustini iis, quae de hoc argumento innuimus magis, quam exposuimus, finem imponamus — „in desiderio aeternitatis non fixum nunquam stabile potest esse, sed omni volubilitate volubilius de alio in aliud transit, quaerens requiem, ubi non est."[3])

Ceterum etiamsi ad ethicam respicere nolimus, fides non solum religiosa, sed etiam communis hominum persuasio ex interiore sui natura instigatur, ut doctrinae isti adversetur

---

[1]) In lautis Aegyptiorum conviviis usitatum fuisse, Plutarchus et Herodotus memoriae tradiderunt, ut quis ad promovendam hilaritatem in loculo circumferret effigiem defuncti ex ligno factam, dicendo: In hunc intuens pota et oblectare, talis post mortem futurus. Cf. *Lasaulx,* über die Linosklage. Würzburg 1842. S. 5.

[2]) Monaci 1835. Cf. praecipue pag. 33—43.

[3]) *Augustin.,* Manuale cap. 25. Cf. eiusd. Meditt. c. 20.

eamque reiiciat. Quaevis enim fides *factis,* quae vel propria experientia vel ex historia pro certis comperta habet, innititur; scientia autem haec facta ex principiis deducere et explicare studet. Hanc vero relationem, quae cognitionem inter vulgarem atque philosophicam intercedit, ipsi philosophi summopere sibi inculcatam habere debent, si universam vitae praesentis conditionem rite explicare velint. Secus enim si agerent, laborem omnino irritum susciperent, quum non sententiam suam rebus, sed res sententiae suae subiicerent; quod plane perversum fore elucet. Quaecunque igitur placita de praesenti rerum statu atque de rationibus, quibus talis effectus fuerit, a philosophis proponuntur, si ab iis, quae *revera* in mundo existunt et fiunt, discrepant atque refelluntur, merito suspecta vel falsa habentur. Ad nostrum autem argumentum quod attinet, evidentissimo sex fere millium annorum experientiae testimonio ac praesertim intima omnium hominum conscientia edocemur, quod talis neutiquam sit nostra conditio, quae solis defectibus laboret, sed horrenda potius discordia universus rerum status et praesertim vita humana dilaceretur. Cf. Hiob 10, 8. Nonne etiam ipsa philosophia tot laboribus irritis hucusque referta comprobare videtur, quod multum absit, ut omnia velut ex uno fonte emanaverint et sine impedimento prodierint, ut e contrario elementis oppositis vita humana agitata eiusque historia Gordico quodam nodo implicata teneatur? — Inprimis autem multa eventa, — de quibus valida aliorum testimonia nostram ipsorum experientiam, qua in iis destituti sumus, tantopere supplent[1]) „ut genus videatur dementiae in his vel aliquantulum dubitare,“[2]) — ab ista doctrina excipi et in totum systema connecti neutiquam possunt, quum potius eius fundamenta evertant. Complura enim miracula praeter eam vim, quam cum reliquis communem habent, ut interrupto naturae cursu non omnia rigida necessitate gubernari ostendant, *directe* quoque assertiones, de quibus agimus, falsitatis convincunt. Maximopere autem illo prodigio, quo non quid-

---

[1]) Cf. *Dieringer*, System der göttl. Thaten des Christenthums, Bd. I. S. 44. Nota [1]).

[2]) *Richard. de s. Victore*, De Trinit. L. I. cap. 2.

quam maiore „testium nube“ stipatum invenies, universa ista doctrina velut uno ictu concutitur. Christus enim a mortuis resurgens — ut unius saltem rationis mentionem faciamus — naturam humanam legi universali de interitu vitae individuae obnoxiam non esse declarat, iisque, qui naturam in omnibus operantem et ortum inter atque occasum vacillantem velut unicum summumque vitae fontem venerantur, quodammodo obiicit versum Sedulii, qui in carmine eius paschali (v. 240) legitur: „Dic, ubi sint, natura, tuae post talia leges?“ [1]) Unde etiam quicunque resurrectionem Salvatoris fide viva amplectuntur, ea velut clypeo utuntur, quo doctrinam a se repellant, quae mortem clarificans resurrectioni locum assignare nequeat.

§. 3.

Fides igitur, dum istam de vita et morte sententiam reiicit, summo utitur iure. Sobria autem scientia hac re invitatur, ut universae cogitandi rationi, cui illud systema originem debet, diffidens, placita de vitae origine et progressu ab eo constituta nec non genuinam vitae ideam accuratius inspiciat.

Pantheismi de vita et morte doctrina paulo ante adumbrata duabus innititur suppositionibus, quarum altera ad principium vitae, altera ad eius evolutionem spectat. Primum enim hoc

---

[1]) Hac de causa mirum videri nequit, quod Evangelistarum de Christi resurrectione narratio aegerrime ab iis excipitur summaque virium contentione eo impugnatur, ut vel veram Christi mortem infitientur, vel resurrectionem eius simpliciter ac sine mora negent. Cf. *Maier,* comm. in Evangel. Joannis, tom. IIdi paginas postremas. Audacissima procul dubio est assertio Feuerbachii: „Die Auferstehung Christi ist der realisirte Wunsch des Menschen nach unmittelbarer Gewissheit von seiner persönlichen Fortdauer nach dem Tode — die persönliche Unsterblichkeit als eine sinnliche unbezweifelte Thatsache.“ Das Wesen des Christenthums, S. 175. Hanc sententiam F. eo defendere studet, ut ex desiderio certitudinis de immortalitate per virum non vulgarem sed illustrem e sepulchro redeuntem obtinendae hanc narrationem compositam esse affirmet! Amorem veritatis multo maiorem manifestabat Spinosa promittendo, confestim se systema suum reiecturum esse, si de uno mortuo resuscitato sibi persuasum foret.

systema loco ideae Dei personalis, quem Theismus ceu vitae principium, immo ceu vitam ipsam veneratur, nudam ponit potentiam, quae immensarum productionum plenitudinem in se recondat, et, non in semetipsa, sed in generibus, speciebus atque individuis subsistat et in hisce se realem reddat. In animo autem humano haec substantia absoluta ad sui ipsius conscientiam pervenire dicitur. Haec autem posterior facultas substantiae vitaeque naturali tributa altera est systematis istius praesumptio. — Rem, de qua agitur, dilucidius exponamus.

Pantheismus et Theismus eo conveniunt, ut universalem huius mundi vitam quum in natura externa tum in animo continuo decurrentem agnoscant simulque in vita spiritali et materiali *diversam saltem vitae formam* et manifestationem (extensivam et intensivam) conspiciant. Jam vero quaeritur: Utrum fieri possit, ut principium vitale, quod toti naturae subsit neque in se, sed in individuis tantum subsistat, ex se et per se evolutum existere possit, ita ut natura, qualis existat, sui ipsius causa et principium sit? Haec etenim est prior Pantheismi thesis principalis, ex qua posterior, quam innuebamus, sponte consequitur, secundum quam utrumque vitae genus, quum spiritale tum materiale solummodo diversae eiusdem fontis vitalis evolutiones sunt, qui radios, quos e centro emisit, iterum in se recolligit. Utramque hanc assertionem exactius examinemus. Magnopere adhortatur philosophiae recentis princeps atque choragus, ut ad explicanda rerum exordia sine ulla praesumptione accingamur; nec parum gloriatur, quod ipse huic regulae strictissime eo obsecutus fuerit, ut ex termino purae existentiae (des „reinen Seins“), quam omnibus limitibus orbatam absolutae abstractioni et negationi aequiparat, mundi exordium et progressum explicandum susceperit. Ad rem nostram non pertinet, quanta ambiguitate notio „Existentiae“ et „Nihili“ in philosophia Hegeliana laboret,[1]) uberius exponere; generatim modo inquiramus, utrum ex mera indifferentia atque potentia, quae, quavis quidem determinatione destituta, multiformium

---

[1]) *Staudenmaier* hanc ambiguitatem breviter ita comprehendebat: „Das Sein ist das reine Nichts; das Sein ist nur noch das Nichts; das Sein ist alle Realität: dies sind Bestimmungen, die stets mit einander wechseln.“ L. c. S. 435.

tamen variationum et productionum facultate fruatur, mundus, qualem evolutum conspicimus, derivari possit. Haec posterior „Nihili" et „Existentiae" notio, quam Hegelius primitivae clam supposuit, revera cum eo mundi principio, quod Schellingius constituerat, in unum convenit, quum inter utrumque hoc solum discrimen intercedat, quod Hegelius idem principium modo ideali, Schellingius verum reali proposuerit. Nam, quae initio de „Existentia" et „Nihilo" ab illo dicuntur, id modo spectant, ut ei vitae principio, quod Schellingius ceu immediate atque ex sola intuitione certum constituerit, probatio acquiratur scientifica. Omnino denique philosophia recens in explicanda mundi origine quoad rem principalem ab ea ratione non discrepat, qua iam antiqua systemata Pantheismo innitentia utebantur, quae in Unitate, [1]) in „anima mundi" [2]) etc. largum vitae fontem, et, quaecunque nunc evoluta videntur, involuta conspiciebant. Qua de causa quaeritur, utrum sanae rationi ea assertio sufficere ac comprobari possit, qua supremum vitae principium id pronuntiatur, quod Scholastici naturam naturantem appellabant; quae nimirum, indifferentia originali diremta, naturam naturatam continuo producat et in hac sola in generibus, speciebus, individuis realis subsistat. Ex hac doctrina igitur mundi vitaeque principium tale statuitur, quod in se spectatum mera facultas sit atque reali existentia tantopere modo potiatur, quatenus, se dirimendo et dividendo, res individuas producat, arboris instar, quae, per se spectata, existentia nonnisi ideali, reali vero tantum in singulis arboribus, quae generantur et corrumpuntur, utatur. Pantheismo itaque substantia absoluta eatenus modo *existit, quatenus fit.* Quum vero nihilosecius existentia individualis ceu praeteriens, inanis, mortique obnoxia ab eo proponatur, nescimus profecto, cui genuinam et veram existentiam tribuamus, an substantiae infinitae, an vero individuis finitis. Interrogantibus nobis, utrum substantia an vero individua, in quibus se manifestet, revera existant, responsum sufffciens et dilucidum dari nequit. Substantiam qua infinitam existentem affirmanti existentia individualis negatur, quum

---

[1]) Cf. *Staudenmaier*, l. c. pag. 33 seqq.

[2]) Cf. *August.*, de civit. Dei. Lib. VII. c. 6.

nihilominus altera ex parte ens absolutum non in se, sed in individuis existens praedicetur; et v. v. Hoc modo Hegelius Spinosae, Spinosa verum Hegelio continuo mancipatur; revera autem uterque contradictioni mancipatus est. Nimirum enti absoluto in evolutionibus modo et accidentibus existenti subsistentia et vita e manu quodammodo dilabuntur; nusquam Proteum multiformem retinere et observare licet; totusque mundi decursus et aspectus bullis, quae altero momento ex aqua proveniunt, altero in eam recedunt, similis esse videtur. Existentia tali modo in fallaciam et visionem mutatur; non vita, sed mors potius rerum principium, vitaque ipsa nonnisi somnii locum occupat, quo aviti Brahmae dormitio interrumpitur.[1]) Incerta et instabilis omnis conditio; fortuna summa lex; summa sapientia antiquum effatum: *Μιμος ὁ βιος*. Quare plerumque apud antiquos Mors in solium divinum evehebatur, dum vitae, quae in terris degitur, largitorem ludentem Silenum constituerent[2]) eiusque sententiam laudarent: „Non nasci longe optimum, proximum autem, si natus sis, quam primum mori" et (quae Cicero addidit:) „tanquam ex incendio effugere violentiam fortunae."[3]) Omnino Pantheismus, qui ens absolutum nonnisi in rebus finitis existens, has vero inanes et evanescentes considerat, de universo mundo eiusque origine et processu tales constituit assertiones, quales ratio sana neutiquam potest approbare. Etenim animus noster, qui se ipsum realiter in se subsistentem et perseverantem omnium actionum radicem cognoverit, a se obtinere nequit, ut enti absoluto *deterius* vitae genus assignet, quod eatenus modo existat, quatenus in singulis rebus se evolvat et fiat et hac ratione existentia solummodo *instabili* utatur; immo vero cuius ne vivendi *necessitatem* quidem intelligere valeamus, quum termino potentiae et indifferentiae, ex qua Pantheismus

---

[1]) „Da, wo kein Leben aufkommen kann, herrscht der Tod, der absolute Tod, der mit dem Lebendigen höchstens ein ekelhaftes Spiel treiben kann." *Staudenmaier*, l. c. pag. 245.

[2]) Cf. *Lasaulx*, l. c. pag. 45 seqq.

[3]) Cf. *Cicer. Tuscul.*, L. I. c. 48. — Cicero Romanus, quod eiusmodi vitae contemptum mortisque venerationem scriptis praedicavisset, a Cicerone Christiano vehementer vituperabatur. Cf. *Lactant.*, instit. div. L. III. c. 19.

vitam entis absoluti deducit, notio vitae contingentis associetur. Namque non intelligimus, unde potentia et indifferentia, quamvis a Schellingio praesertim efficacissimo se efformandi nisu impulsa affirmetur, *necessitatem* vivendo se manifestandi adipiscatur, quum in termino nudae potentiae procul dubio insit, ut etiam qua talis persistere possit. — Hisce autem dictis plus, quam aequum est, iam concessimus; revera enim eiusmodi indifferentia passivam solummodo se evolvendi facultatem in se recondit; in se vero spectata est ipsa impotentia existendi; nec quisquam explicare poterit, unde ex indifferentia, quae Nihilo aequetur, individua realia proveniant, nisi adsit, qui ex indifferentia originali differentias singulas producat atque separatas constituat. Principium, ex quo Pantheismus mundum derivat, aequale est puncto mathematico, quod nisi in figuris mathematicis non existit. Quamvis in se solo non existat, ex eo tamen multiformes figuras delineare licet; nequaquam vero in hasce extenditur, nisi qui eas construat. accesserit.

Respiciamus hoc loco similitudinem, qua revera nonnulli, ut doctrinam suam commendarent, usi sunt. Dicunt enim, supremum mundi principium omnino esse indifferens et hac de causa iam omnes differentias in se continere. Libentissime quidem hanc differentiarum legem in universa natura apparentem et operantem agnoscimus; at merito quaerimus, quo factum sit, ut natura ex indifferentia primitiva ad evolvendas res singulas sit perducta. *To* Nihil (o) elementa quidem positiva et negativa in se exaequavit et in ea iterum dissolvi potest; attamen procul dubio haec elementa contraria perpetuo in statu potentiae in Nihilo restant, nisi ab arithmeticis secernantur, sicuti etiam aes proprium et aes alienum, etiamsi velut contrariae partes rei familiaris invicem se auferant et ad Nihilum reduci possint realiter separata tamen cogitari nequeunt, nisi referantur ad personam, ad quam pertinent, quae sibi alterum comparavit, alterum vero contraxit.

E re nostra est, ut eandem similitudinem ulterius prosequamur, quum tali modo viam sternamus ad examinanda et refutanda ea, quae (ut supra iam monuimus) praeterea a Pantheistis supponuntur. Etenim Nihilum etiamsi in differentias, in elementa positiva et negativa. quae in se recondit, dissol-

vatur, attamen licet in infinitum hae divisiones descendant ac deinde reducantur, nunquam ex iis Unitas confici poterit. Inter Nihilum (o) et Unitatem (1) absolutum intercedit discrimen, quamvis ex illo, si in differentias dividatur, numeri positivi et negativi erui possint. Rem ipsam, de qua agitur, explicemus. Vitae processus, qualis a Pantheismo constituitur, is est, qui in natura externa observatur, atque sub imagine Nihili (der Null), quod in elementa positiva et negativa discernebatur, non inepte proponitur; quum revera principium naturae nonnisi in differentiis existat, quae ex diremta indifferentia originali evoluta sunt.[1] Jam vero constat, hanc legem differentiarum ex indifferentia primitiva exortarum, quae universam regni naturae vitam constituunt, ad id vitae genus, quod in animis nostris animadvertimus, transferri non posse; huic enim vitae generi lex omnino diversa, Unitatis scilicet, praescripta conspicitur. Ex variis enim manifestationibus continuo nosmetipsos ceu unum eundemque ac perseverantem actionum nostrarum fontem quodammodo recuperamus. Quae cum ita sint, sponte praesumptioni iam locus est, quod fieri nequeat, ut omnes evolutiones, operationes, actiones, quibus vita manifestatur, ad eandem substantiam absolutum operatricem proxime et directe reducantur. Pantheismus quamvis summa ope nitatur, ut vitam spiritalem tantummodo alteram eiusdem vitae absolutae formam esse ostendat et eo praesertim rem expedire studeat, ut cogitandi initia, quae in regno naturae reperiuntur, sententiae suae testes adhibeat: neminem tamen praeconceptis opinionibus non irretitum fugiet, quantopere is cogitandi modus, cuius etiam in animalibus vestigia occurrunt, et ratio humana inter se distent; quum in sentiendo, reminiscendo etc. operatio conspiciatur in sola superficie haesitans, ratio autem humana ad interiora rerum fundamenta perscrutando descendat. Utraque cogitandi species tantopere ab altera discrepat, ut explicari nequeat, quomodo substantia, cuius operatio universa in rebus externis

---

[1]) Eandem cogitationem innuunt *August.* confess. L. XII. c. 8., et qui apud antiquos V. T. vertebant, qui principium mundi Genes. 1, 2 narratum ita exprimebant: *ἡ γη ἠν κενωμα και οὐδεν* (Aquila); *ἡ γη ἠν κενον και οὐδεν* (Theodotion); *ἡ γη ἠν ἀϱγον και ἀδιακϱιτον* (Symmachus). Cf. *Staudenmaier,* Dogmatik III. S. 134. 135.

producendis et sibi praesentandis versetur, subito tam contrarium vitae genus ingredi possit. Etenim quodsi, ut supra ex s. Thoma retulimus, vita est „motio substantialis", [1]) procul dubio ex ipsius substantiae indole eruere licebit, quale vitae genus ei competat. Ad hoc autem nimirum, ut substantia quaedam se evolvendo sui conscia fiat, necessario requiritur, ut qua talis adhuc existat (nam ubique cogitatio formalis et existentia realis invicem sibi conveniunt): illa vero substantia, quae ab istis philosophis universae vitae, quum materiali tum spiritali supponitur, non solum se explicando diremta est, sed nullo momento in se perseverabat, ita ut se rebus actionibusque ab ipsa productis velut harum fontem et principium neutiquam opponere possit. Unde etiam sui ipsius conscia fieri nequit, quum non in se ipsa subsistat, sed se totam formando et effingendo quodammodo dissipaverit.

§. 4.

Quae modo diximus, sufficiant ad fundamentalem vitae naturalis et spiritalis differentiam comprobandam, [2]) qua movemur, ut loco unius substantiae uniusque vitae dualismum substantiarum atque duplex vitae genus plane diversum in hoc mundo affirmemus, cuius synthesis naturam humanam constituit. Hoc autem dualismo sponte iam efficitur, quod neutrum vitae genus, quum ab altero dependeat et praesertim in natura humana, in qua Pantheismus supremam substantiae absolutae manifestationem veneratur, huius conditionis evidentissima documenta edat, pro vita absoluta haberi possit; praesertim quum ideae huius vitae perfectae, cuius aliquam saltem imaginem nobis effingere possumus, processus, qui a Pantheistis enti absoluto assignatur, neutiquam conveniens intelligatur. Quae enim proprie vita est? quis terminus, ad quem tendit? Quaecunque vivunt, in semetipsis evolutionis metam et bravium

---

[1]) *Thom. Summ.*, P. I. quaest. 18. artic. 2.

[2]) Uberius hoc argumentum tractatur ab *J. H. Pabst*, Janusköpfe pag. 11 seqq. Adam und Christus pag. 6—9.

habere student; ex se procedunt, ut ad se redeant; vel (ut paucis dicam): Omnis vita sui conscientiam appetit.[1]) Hac conscientia ut potiatur, substantia absoluta secundum Pantheistarum placita per longam evolutionum seriem velut per ambages enititur, quas undique variis formationibus ex immensa plenitudinis suae abundantia desumptis exornat. Attamen vitae illi vegetae et fecundae, quali in regno naturae delectamur, quomodo tanta dignitas concilietur, quae permittat, ut substantiae absolutae eam attribuamus, profecto non perspicitur, quum e contrario ex intima vitae naturalis indole tanta evadant vestigia, quibus haec vitae forma substantiae relativae solummodo accomodata convincitur.[2]) Unde etiam, ubicunque differentia, quae vitam spiritalem inter et naturalem intercedit, aliquatenus agnoscebatur, vita spiritalis praestantior habebatur;[3]) atque eadem ratione homines, qui in moribus speciem vitae naturalis quodammodo imitati se totos voluptatibus deliciisque dederunt, ita ut ad se non reflectentes ad res externas prorsus diffunderentur, a vera vita defecisse dicebantur. Ipsi quoque gentiles, quamquam vires naturales resque externas deos habebant, recto tamen sensu instigati impellebantur, ut iis dignitatem personae tribuerent, quum vitam entis absoluti vita pro-

---

[1]) „Jedes Sein ist Leben, Thätigkeit, Entfaltung dessen, was es enthält und umschliesst — seiner selbst. Diese Entfaltung ist zugleich eine für das Sein selbst, nicht für irgend ein fremdes ausser ihm; denn die Substantialität (Selbstständigkeit) des Seins verlangt es eben, dass die Entwicklung eine ihm selbst zustehende, sohin ihm selbst zustrebende, es selbst vollendende sei. Diese Entwicklung ist aber vollendet, wenn das Sein sich vollständig in ihm und vor ihm selbst entfaltet hat, wenn es sich in seiner Wesenheit sicher und gewiss weiss; kurz — das Ziel alles Seins ist Selbstbewusstsein; und da dieses Ziel, als im Sein selbst gelegen, als unzertrennlich von ihm, ein stets erreichbares und erreichtes ist, so kann von einem endlosen Fortschritte, in dem Sinne, wo jener als ein innerer, intensiver, ein Ergänzen eines noch fehlenden Bestandtheiles gedacht wird, nun und nimmer die Rede sein." *Hock*, Bonner Zeitschrift für Philosophie u. kathol. Theologie. Heft 13. Seite 65. Cf. *Pabst*, Adam und Christus. Seite 2.

[2]) Cf. *Pabst*, der Mensch u. seine Geschichte. S. 44—46.

[3]) Cf. *Augustin.* civit. Dei. Lib. XI. c. 16. *Thom. Summ.* P. I. qu. 18. artic. 3.

pria deteriorem existimare non possent. Solummodo enim existentia personalis revera eam plenitudinem eumque vigorem, quibus vita vera et perfecta exornata esse debet, in se comprehendit: cuius imaginem modo et umbram vita regni naturae prae se fert.[1])

At fortasse quispiam obiecerit, ad perfectam entis absoluti vitam et manifestationem requiri, ut non modo vitam spiritalem, in qua Pantheismus supremam eiusdem substantiae evolutionem conspiciat, verum etiam materialem ex se producat, et eo demum, ut utroque modo se manifestet, totam plenitudinem suam velut ex largo fonte emittat. — Attamen, etiamsi falsam huius assertionis praesumptionem de vita materiali in spiritalem evehenda concederemus, ipsa haec obiectio novum illius systematis defectum detegit, ex quo intelligamus necesse est, quam exigua et minuta vitae energia a Pantheistis substantiae absolutae tribuatur. Haec enim, quum, secundum eorum sententiam, existendi forma non permanenti sed mobili fruatur, tantopere modo vitam adipiscitur, quantopere et in regno naturae et in hominibus se manifestat. Attamen, etiamsi in regno naturae formationes innumerabiles et immensas produxerit, quarum aspectus admirationem movet, per infinitum locorum et temporum spatium se evolvens; nunquam haec evolutio perfecta et absoluta nominari poterit: praeter ingentem rerum, quas produxit, multitudinem continuo multo plures cogitari possunt, quae in existentia mere potentiali restant. Deinde, etiamsi permeatis multis ambagibus, in natura humana ad sui conscientiam substantia ista absoluta tandem pertingeret: quis eiusmodi conscientiam omnibus numeris absolutam existimare auderet, quum nimirum, quocunque momento hac sui conscientia frueretur, eximia evolutionum novarum formarumque futurarum series in promptu foret, quas nondum cognovisset.

---

[1]) „Persona," inquit s. Thomas, „significat id, quod est perfectissimum in tota natura; scilicet subsistens in rationali natura. Unde cum omne illud, quod est perfectionis, Deo sit attribuendum, eo quod eius essentia in se continet omnem perfectionem, conveniens est, ut hoc nomen (persona) de Deo dicatur." *Thom.* Summ. P. I. quaest. 29. artic. 3.

Quoniam autem ens aliquod terminum vitae et scopum tum demum attigisse praedicatur, si ad summum perfectionis etiam subiectivae gradum pervenerit; vitam substantiae absolutae, qualis a Pantheismo describitur, defectibus continuo maculatam reperimus, quum plenitudini existentiae obiectivae cogitatio et cognitio subiectiva nullo momento conveniat.[1] Jam vero, quum de dignitate substantiae alicuius iudicare non possimus, nisi ex percepto superiore vel inferiore vitae gradu, intima animi sententia impellimur, ut id vitae genus, quod naturam externam atque etiam animos hominum degere cernimus, substantiae absolutae non conveniens declaremus. Profecto enim vita tot tantisque perturbationibus obnoxia, mutabilitati subiecta, in qua vix ullum momentum vanitatem et fortunae ludum non prodit, vita vera et primitiva appellari nequit. Spectare non potest eiusmodi vitae genus ad substantiam absolutam, cuius, una cum existentiae necessitate, stabilitatem quoque et perseverantiam affirmare debemus; cui accomodatus esse nequit processus continuus termini impos, quum potius in vita vera motus et quies in idem coincidant.

Quae hucusque de vita perfecta supremo omnium rerum principio tribuenda nec non de energia exigua, quae a Pantheismo substantiae absolutae vindicetur, adumbravimus, s. Augustinus hisce comprehendebat: „Omnes certatim pro excellentia Dei dimicant; nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Itaque hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt. Et quoniam omnes, qui de Deo cogitant, vivum aliquid cogitant, illi soli possunt non absurda et indigna existimare de Deo, qui vitam ipsam cogitant; et quaecunque illis forma occur-

---

[1]) Quantum periculum (ut ita dicam) quantaque indignitas vitae absolutae a Pantheismo inferatur, sentire licet haec *F. Chr. Baur* verba legentibus: „Dieser Process (des Weltlebens) ... muss fort und fort seinen Verlauf nehmen, damit das Leben und Selbstbewusstsein Gottes nie in sich erlösche und seinen concreten Inhalt verliere ... (!) *Baur*, die christliche Lehre von der Dreieinigkeit und Menschwerdung Gottes. Bd. III. S. 925. Quantos e contrario conceptus numine dignos explicat v. c. Augustinus in Soliloq. cap. 31., in quo Deum quavis mundi re superiorem laudibus extollit!

rerit corporis, eam vita vivere vel non vivere statuunt, et viventem non viventi anteponunt, eamque ipsam viventem corporis formam, quantalibet luce praefulgeat, quantalibet magnitudine praeemineat, quantalibet pulchritudine ornetur, aliud esse ipsam, aliud vitam, qua vegetatur, intelligunt, eamque illi moli, quae ab illa vegetatur et animatur, dignitate incomparabili praeferunt. Deinde ipsam vitam pergunt inspicere et, si eam sine sensu vegetantem invenerint, qualis est arborum, praeponunt ei sentientem, qualis est pecorum, et huic rursus intelligentem, qualis est hominum. Quam quum adhuc mutabilem viderint, etiam huic aliquam incommutabilem coguntur praeponere, illam scilicet vitam, quae *non aliquando desipit, aliquando sapit,* sed est potius ipsa sapientia. Sapiens enim mens, id est: adepta sapientiam, antequam adipisceretur, non erat sapiens. At vero ipsa sapientia nec fuit unquam insipiens, nec esse unquam potest. Quam si non viderent, nullo modo plena fiducia vitam incommutabiliter sapientem commutabili vitae anteponerent. Ipsam quippe regulam veritatis, qua illam clamant esse meliorem, incommutabilem vident; nec uspiam nisi supra suam naturam vident, quando quidem se vident mutabiles. Nemo est enim tam impudenter insulsus, qui dicat: Unde scis incommutabiliter sapientem vitam mutabili esse praeferendam? Id ipsum enim, quod interrogat, unde sciam, omnibus ad contemplandum communiter atque incommutabiliter praesto est.“ [1])

Considerationi huic sincerae simul atque dilucidae satisfacit et convenit religio christiana, Deum professa mundo superiorem et ab hoc independentem, quem non necessitate stimulatus, ut vita fruatur, ex se emisit, sed libertate commotus creavit et continuo gubernat. — Altera autem ex parte a Pantheismo difficultas affertur nova, qua ipsum Theismum in sententiam suam pertrahere, et, quod sibi adhuc restat veritatis, in usum suum convertere studet. Etenim si in rationibus, quae Pantheismo ortum dederint, investigandis solummodo ad eas animum advertimus, quibus aliquid veri inest, in his procul dubio praecipue enumeranda est intima mentis nostrae persuasio, qua impellimur, ut substantiam absolutam non modo existere,

---

[1]) *August.* de doctrina christian. Lib. I. c. 7. 8. 9.

sed etiam vivere et continuo operari credamus.[1]) Hunc motum vitalem (ut ita dicam) enti absoluto necessario tribuendum praesertim nostra aetate, (quae hac in re omnino discrepat a rigido saeculi praecedentis Deismo) maximopero celebrant et praetexunt adversarii, eoque munimenti instar utuntur, quo non solum doctrinam suam fulciant, sed insuper Deum personalem, a mundo diversum insectentur. Sunt enim, qui arbitrentur, Theismum ab omni Pantheismi contagione immunem se praeservare non posse; Deo videlicet personali, etiamsi mundo superior sit, ex ipso mundo demum cogitationis et operationis facultatem et obiectum praeberi et ministrari, quum omnino nonnisi *relate ad alterum* cogitatio et operatio obtineri possit; et hoc modo Theismo quoque necessitatem incumbere, mundum, antea ex vita divina remotum, ceu necessariam huius conditionem iterum in eam assumendi. Attamen ab huius argumenti vi Theismum tueri etiam iis, qui sola ratione innituntur, fortasse arduum non esset, hoc in promptu habentibus responsum: Omnino quidem substantia absoluta viva nobis cogitanda est et operatrix, immo vero pura actio et vita, tantopere, ut, simulac vitam Dei immanentem negaverimus, in mundo vita divina sit nobis conspicienda. Quid vero obstat, quaeso, quominus Deum, quem prorsus independentem agnoverimus, etiam quoad vitam suam sibi sufficientem declaremus? Quemadmodum ii, qui lumen visibile, quod nonnisi rebus corporeis affixum experientia quotidiana observamus, etiam in se qua tale persistere posse hac de causa negarent, temeritatis notam incurrerent, ita eandem culpam sine dubio contrahunt, qui eam ob causam, quod animus humanus, nisi mundus, quo circumdamur, accedat, cognoscere et operari nequeat, etiam vitae divinae hanc conditionem obtrudunt, quum potius differentia entis absoluti et relativi etiam differentiam vitae utriusque inducere videatur.[2]) Hucusque res,

---

[1]) „Illud, quod est vere aeternum, non solum est ens, sed vivens.“ *Thom.* Summ. P. I. quaest. 10. artic. 1.

[2]) De hac re annotavit *Billroth:* „Alles Leben, Selbstbewusstsein, Freiheit ist wesentlich Process, Vermittlung unterschiedener Momente zu einer concreten Einheit, in welcher diese Momente aufgehoben sind. Das blosse Sein, die Unmittelbarkeit ist todt. Werden, Bewegung ist die Voraussetzung und nothwendige Form für

de qua agitur, facile expeditur. *Existentiam* vitae divinae a mundo non dependentis postulare Theismo licet; intricata autem fit quaestio, si iam *de modo et qualitate* huius vitae divinae immanentis q. v. disputatur. Revera enim Theismus sibi soli relictus neque desuper adiutus et illuminatus hoc loco summa difficultate innodatur atque, tametsi undique a plagis et vulneribus sibi inferendis Achilleos instar sit immunis, hac in re tamen calcem reservat violabilem, cui cladem inferre Pantheismo liceret, nisi fides revelata in hac materia scientiam adiuvaret atque se revera „lucernam exhiberet lucentem in caliginoso loco" (II. Petr. 1, 19). Nam scientia, quamvis vitam divinam immanentem suspicari et ceu operationem spiritus maxime intelligentis atque potentis describere possit, attamen propriis viribus, etiamsi hanc vitae divinae energiam in immensum auctam et extensam cogitaverit, unicam modo et solitariam personalitatem cognoscet; quo fit, ut vita divina, qualis a sola scientia intelligatur, ab animorum singulorum vivendi forma et ratione, qualem Pantheismus quoque enti absoluto reservavit, qualitative non differatur. Vitae formam a creaturis diversam de Deo suspicari quidem possumus; quomodo vero se habeat, in quo consistat, Theismus sibi relictus explicare non valet.

Ex hisce autem angustiis per doctrinam de summa Trinitate divinitus revelatam liberamur, quae, licet mysterii involucro tegatur, nihilosecius tamen ad universam de Deo cogitandi et sentiendi rationem vim maximam habet, quum in ea, sicut fidei christianae signum, ita scientiae quoque christianae signaculum conspiciatur. Duplici enim de causa hoc mysterium, quo inte-

---

alles Lebendige. Der Pantheismus fehlt also nicht darin, dass er die Selbstvermittlung durch unterschiedene Momente hindurch für das Leben und Selbstbewusstsein Gottes als nothwendig fordert, sondern nur dadurch, dass er als das eine Moment dieser Selbstvermittlung die äusserliche Natur und den endlichen Geist nimmt, während ja eben der Begriff des absoluten Geistes diess in sich schliesst, dass er sich in sich, ohne ausser sich zu gerathen, vermittelt; d. h. dass er sein Leben, Selbstbewusstsein und Freiheit nicht blos aus sich und durch sich, sondern auch in sich und durch sich habe." *Biltroth*, Vorlesungen über Religionsphilosophie. Leipzig 1837. S. 63. (*Baur*, l. c. Bd. III. S. 916. 917.)

rior vitae divinae ratio nobis revelatur, etiam scientiae christianae summum commodum affert, quum non modo ad coercendos impetus hostiles, sed etiam ad ipsam adversariorum aciem impugnandam validissimum praestet munimentum. Primum namque difficultates contra Theismum in medium productae, quas paulo ante indicavimus, hoc dogmate omnino removentur omnisque ulterius illum insectandi copia Pantheismo adimitur. Substantia absoluta, cuius manifestationem essentialem in mundo spectandam esse Pantheismus affirmat, quia secus viva cogitari nequeat, hoc fidei articulo, viva omnino et vegeta atque nihilominus mundum supereminens eoque haud indigens praedicatur. Quae de Deo velut in exilium vel in eremum misso nobis vulgo obiiciuntur, plane evanescunt neque immerito in Pantheismum ipsum retorquentur, quippe qui unitatem vivam et concretam, qualis a religione christiana mundo praeficiatur, nequaquam possit obtinere, sed in unitate mere abstracta acquiescere debeat. Praecipue autem eae difficultates, quae vitae divinae immanenti opponuntur, revelata nobis per fidem huius qualitate dissipantur. Theismus quidem per se iam valet, rationem, qua Pantheismus assertionem philosophicam de conscientia sui generatimque de quavis vitae manifestatione *nonnisi relate ad alterum* obtinenda,[1]) ad relationem, quae Deum inter et mundum intercedit, transferre tendit, probare temerariam et abusivam: dogmate autem de ss. Trinitate facultas conceditur, ut in describenda vita Dei immanenti etiam huic philosophorum postulationi satisfaciamus,

[1]) „Damit das Ich concretes Selbstbewusstsein werde, bedarf es des Nicht-Ich, der Aussenwelt; zur Person wird der Mensch erst dadurch, dass er mit andern Menschen in eine lebendige Continuität tritt, und mit ihnen als einer Totalität von Personen einen geistigen Organismus, eine sittliche Idee realisirt. Man sieht hieraus, was für das Selbstbewusstsein Gottes folgt. Soll dieses concret sein, so muss für Gott ein Analogon dessen da sein, was für das menschliche Ich das Nicht-Ich, die Aussenwelt, ist.“ *Billroth*, l. c. (cf. *Baur*, l. c. III. S. 919.) — Similis cogitatio apud ss. Patres reperitur. De charitate v. c. inquit Gregorius Magn.: „Minus, quam inter duos charitas haberi non potest. Nemo enim proprie ad semetipsum habere charitatem dicitur; sed dilectio in alterum tendit, ut charitas esse possit.“ *Greg.* hom. 17. in Evang. Cf. *Richard. Victorin.* de Trinit. L. III. c. 14. *Staudenmaier*, Dogmatik II. S. 472 f.

quum numen divinum in tribus personis existens et hac de causa in se perfectum neque ulla re externa indigens pronuntietur. Neque est operae pretium, ut ingratum opus suscipiatur, sensualem istam cogitandi rationem refellendi, quae in solo mundo talem differentiam, qualis ad vitam manifestandam requiratur, agnosci posse declarat atque uno tenore — trito hoc argumento contra vitam Dei immanentem proferendo, sed non stabiliendo revera taedium movet.[1]) Immo vero, si Pantheismus duplex vitae genus, quod in mundo cernitur, spiritale videlicet et naturale utrumque substantiae absolutae, ut perfecte se manifestet, attribuendum esse affirmaret, doctrina de ss. Trinitate speculationi christianae responsum ministrat, quum non solum animus creatus, sed etiam regnum naturae in Trinitate divina prototypon venerentur.[2]) Omnino hoc mysterio demum quaecunque Theismo obvenire videntur angustiae et dubitationes prorsus auferuntur; neque difficile foret evincere, quod omnia ista desideria et argumenta, quibus Pantheismus vitam divinam in mundo procedentem et se perficientem nobis persuadere studeat, mysterio Trinitatis multo facilius atque splendidius expleantur. Fides christiana quemadmodum eo, ut quaecunque semina veritatis apud antiquos dispersa reperiuntur, in se comprehendat, religionem genuinam atque perfectam se probat: ita quoque, quidquid veri in diversis sententiis et philosophorum placitis de natura vitaque divina prolatis inest, radiorum instar ex sole fulgurante emissorum in hoc Trinitatis dogmate, velut flores in magnifica corona praeclare connectit. Denique vero maximum lumen scientiae christianae hoc dogmate eo affunditur, quod viam illi ostendat, qua numini divino, quod mundo superius et ab eo non dependens affirmamus, etiam

---

[1]) Hac obiectione audacter prolata, neutiquam vero probata quavis fere pagina circa finem operis de doctrina Trinitatis et incarnationis conscripti utitur *F. Chr. Baur,* hanc loquendi formulam semper in promptu habens; „Wenn der Unterschied nicht in die Welt gesetzt ist, ist er überhaupt kein realer und wirklicher, und hat somit auch der Selbstvermittlungsprocess Gottes keine wahre Realität.“ *Baur* l. c. Bd. III. S. 919. Cf. S. 920. 921. 923.

[2]) Cf. *Bossuet*, élévations à Dieu sur tous les mystères. Paris. 1747. Tom. 1. pag. 66—109.

vitae genus huic excelso loco conveniens attribuatur: quum qualitativa inter vitam Dei et mundi differentia, quam de Deo requirimus, cuius autem modum propria mentis acie perscrutari non valemus, hoc fidei articulo reveletur. Hoc enim dogmate vita divina non solum omni vitae genere, quod in mundo degitur, omnino superior et excelsior declaratur, sed etiam revera demum vitae perfectae omnibusque numeris absolutae characterem nanciscitur. Doctrina enim christiana (eam respuens cogitandi rationem, qua substantiae absolutae vita non assignatur nisi turbata, mutationi obnoxia, defectibus impetita, vita inquam, quae ingenti rerum naturalium multitudine velut integumento utitur, quo nuditatem originalem tegat et exornet) talem existendi modum Deo tribuit talemque vitam, qualis maiestati congruit supremae, quae nequaquam variis huius temporis anfractibus et perturbationibus moveatur, sed ex omni aeternitate in se perfecta et immutabilis persistat; ita tamen, ut nihilosecius expers sterilitatis et solitudinis, plenitudinem divinitatis effundat. Se ipsum integrum ex se emittens Deus vitam agit neque incrementi neque decrementi capacem; motionem efficacissimam et actionem purissimam cum quiete continua et perfectione absoluta in se coniungens.[1] „De Patre semper generante semper est natus (Filius): semper, quia aeternus, natus, quia perfectus, ut generatio Eius atque nativitas non in quadam successione consistat, tanquam semper praesens, neque tamen praeterierit, tanquam ab omni aeternitate perfecta, sed ex ipsa sola ratione aeternitatis sit semper praesens, quia aeterno nihil praeterit, et semper perfecta, quia aeterno nihil deficit."[2] Loco igitur formationum innumerabilium, per quas ex assertione Pantheistarum substantia absoluta ad vitam magis perfectam sensim ascendit, secundum fidem christianam Deus statim (si dicere fas est) perfectam sui imaginem gignit, immensam naturae suae plenitudinem ex se producit, in qua velut in speculo sine ma-

---

[1]) Die Dreieinheit ist immanente Selbst-Offenbarung, immanentes Ausgehen und Eingehen, unendlich bewegte Ruhe und unendlich ruhige Bewegung." *Klee*, System der katholischen Dogmatik. Bonn 1831. S. 191.

[2]) *Cornel. Mussus*, divin. histor. Lib. III. cap. 4. Similiter s. *Augustinus* de divers. 83. quaestion. qu. 37. qu. 50.

cula conscientia sui absoluta fruitur. Hisce alteram quoque rationem, ex qua vitae divinae, quae mysterio Trinitatis nobis illuxit, perspicere licet perfectionem, indicavimus. Nimirum in utroque vitae genere, quod in mundo observamus, defectus reperitur, quum in regno naturae res quidem singulae imaginem sui generando constituant, sed hac via ad sui cognitionem nequaquam perveniant; animi vero creati non essentiam, sed solummodo manifestationes ex se producere atque ex hisce de essentia concludere valeant. Quae vero in mundo separata et hac de causa limitibus circumscripta inveniuntur, in Trinitate divina, qua vita substantiae absolutae constituitur, miro quodam modo unita cognoscuntur; quemadmodum generatim „ea omnia, quae in inferioribus rebus dispersa sunt, si ad perfectionem dignitatemque spectent, mira quadam potestate in rebus superioribus congregari videmus, ut illustrius splendeant sintque egregia quaedam maioris nobilitatis argumenta atque indicia certissima.“ [1]) Neque possumus diffiteri, omnes proprietates ac perfectiones, quibus vita Dei personalis comprehenditur, tunc demum sensu absoluto de eo praedicari posse, si mysterii Trinitatis lumine illustrentur. — Auctor duobus abhinc saeculis defunctus, qui, licet praecipue augendae fidelium pietati operibus a se conscriptis consulere voluerit, non raro tamen in iis theologos quoque de argumentis sublimioribus summone-

---

[1]) *Cornel. Mussus* l. c. L. III. c. 4. Idem scriptor sententiam modo prolatam ita explicat: „Cum in ipsa rerum natura sint substantiae quaedam mortales, quibus, miserante Deo hanc ipsam mortalitatis conditionem, magna illa generandi vis ac dignitas tributa est, ut iactura interitus, perinde ac labentia flumina cursus aquae perennat, contraria successione reparari possit; sint quaedam intrinsecus immortales, quae hoc ipso, quod absunt quam longissime a calamitate mortis, carent etiam generationis et propagationis honore; atque in illis quod nascitur ipsa natura et specie simile sit generanti, ab his autem non proferuntur nisi accidentia, luces, splendores, conceptus, notiones: profecto magna ratione Deus, a quo nihil abest dignitatis, cui nihil inest indignitatis, tanquam utraque natura sine fine superior, quemadmodum cum natura immortali desinere nunquam potest, tanquam supra omnem immortalitatem aeternus; sic fere cum ea, quae est obnoxia morti, illud unum commune habere putandus est, ut Deum sibi similem generet tanquam infinitus.“ L. c. Lib. III. cap. 1. Cf. *Bossuet* l. c.

bat, hac de re perbene annotavit, quae sequuntur: „Incomparabilis huius arcani Divinitatis cognitio plura de Deo nobis manifestat, quam omnes speculationes de ipso a nobis secundum solum humanum discursum formatae detegere possent. Quodsi enim Deus non sit unus aliarum rerum modo, sed ita unus sit, ut etiam simul sit trinus, clarissime colligitur, etiam in aliis perfectionibus non esse ne quidem modo ordinario perfectum, sed tali, qui plus quam credi possit, longe quascunque hominum cogitationes et conceptus transcendat. „„„Ecce Deus magnus vincens scientiam nostram.““ Job. 36, 26. Hoc igitur modo valde crescit idea, quam de divina bonitate formamus. Si enim illa non nisi limitate se communicare posset, quemadmodum facit in creatione, quomodo esset infinita? Omnis boni proprium est, minus vel magis se communicare, prout in se maius aut minus est; ideoque, si bonum finitum se ipsum modo diffundit finito, oportet necessario, ut bonum infinitum secundum proportionem, id est, infinities se communicet. Crescit divinae potentiae existimatio, quae siquidem est illa potentia, quae non solum omnia producit, quae extra se vult producere, sed etiam intra se terminum omnipotenti efficaciae suae proportionatum producit, id est Filium suum divinum, qui aequalem habet cum Patre omnipotentiam! Crescit divinae sapientiae existimatio: annon enim mens est admirabilissima, quae veritates infinitas, claras et certas solo verbo exprimit, verbo quidem ipsimet menti simillimo? Crescit existimatio beatitudinis, qua felicissima haec essentia gaudet; cum gaudium, quod ex contemplatione sui ipsius resultat, est aeque infinitum ac ipsemet Deus. Et sic de aliis perfectionibus divinis discurrere licet, quas hoc sanctissimo Trinitatis mysterio, a nobis bene intellecto, modo supereminenti cognoscere possumus, ita ut philosophi, quibus de hoc mysterio nihil innotuit, multo minus de Deo cognoverint, quam hodie inter nos mysterii huius non ignara vetula cognoscat.“ [1]) „Naturaliter enim ex operibus Deum cognoscentes nihil aliud intelligimus, quam opera ipsa demonstrant; unde a pulchritudine, ab ordine, a mundi unitate bene

---

[1]) *Segneri*, homo christianus in sua lege institutus. August. Vindel. 1695. Part. II. discurs. IV. No. XIII.

quidem potentiam, sapientiam et unitatem creatoris inferre possumus; sed absque ulla comparatione semper plura cognoscenda restant, quam quaecunque a maximis eius operibus proponuntur. Qui Moysis intuetur statuam a celeberrimo Michaele Angelo exsculptam, facile quidem ex illa mirabilem artificis manum ad ipsa quasi saxa animanda colliget, sed non ita reliquas praeclaras eiusdem virtutes, pietatem, prudentiam, prosapiam, cognationem aliasque praerogativas, quae ad artem statutariam nullam habent relationem, addiscet. Non aliter accidit, qui creaturas contemplatur. Bene quidem ab ipsis proprietates aliquas Deo convenientes arguere potest, tanquam illarum autori: sed non eas, quae non ut creatori conveniunt, deprehendere licet. Tales sunt proprietates personales, ad quas creaturae nullam specialem dicunt relationem, secundum originis oppositionem, quae est inter personas divinas, sed solum secundum eiusdem essentiae identitatem.“ [1]) Hisce omnibus iuste perpensis perspicuum fit, ideam vitae absolutae, quae menti nostrae insculpta quodammodo penitusque mandata obversatur, in illo neutiquam processu, qui a Pantheismo substantiae absolutae imponitur, sed in sola Trinitate divina immanenti revera existentem ac realem reperiri, in qua numen divinum sibi omnino sufficiens, alia re non indigens, „ipsum sibi pro mundo“ evadat.[2]) *Παντα γαρ,* ut Athenagorae verbis utar, *ὁ θεος ἐστιν αὐτος αὐτῳ, φως ἀπρωσιτον, κοσμος τελειος, πνευμα, δυναμις, λογος.* [3]) „Ibi vera unitas cum plenitudinis universitate, ibi summa simplicitas cum perfectionis immensitate, ibi summe simplex identitas cum totius consummationis infinitate.“ [4]) Hac de causa etiam in ss. scripturis vita et immortalitas [5]) per

---

[1]) *Segneri* l. c. no. X. Quomodo charitas divina perfecta et absoluta solummodo in Trinitate cogitari possit, ostendit *Richard. de s. Vict.* de Trinit. L. III. c. 11 — 21. Cf. *Aug.* de Trin. IX, c. 2—4.

[2]) Cf. *Minuc. Felic.* Octav. cap. 18.

[3]) *Athenag.* legat. pro christianis no. 17. Cf. *August.* confession. Lib. XI. passim.

[4]) *Richard. Victorin.* de Trinit. L. II. cap. 20. cf. c. 21.

[5]) „Quicquid mutatur, si primum erat, decidit in id quod non est; si non erat, acquirit, ut sit; denique, si uno modo erat, alio modo esse incipit. Porro vero his tribus modis utcunque res mu-

eminentiam Deo tribuitur. Ps. 42, 3. Matth. 16, 16. 26. 63. I. Timoth. 6, 16.[1]) In hac vita immanenti, in se perfecta et absoluta, neque incrementi neque detrimenti compote vel capace, qualis in Trinitate resultat, neque mutationi neque morti locus ullus relinquitur. Unde consequitur, quod neutiquam eiusmodi vita, cuius formae continuo mutentur et decidant, cuius bravium ignoretur, principatum in rerum natura obtineat, sed potius vita essentialis, constans semperque sibi aequalis aeternitas, quae est „vitae tota simul et perfecta possessio,"[2]) — Trinitas Deus.

§. 5.

Iis vero, quae de vita Dei immanenti antea adumbravimus, impellimur, ut utrumque vitae genus, quod in mundo animadvertimus, deteriorem vitae speciem existimemus neve essentialem supremi numinis manifestationem habeamus. Quum enim Deus vita ac operatione perfecta, qua maior cogitari nequeat, iam in semetipso fruatur,[3]) in mundo genuina et necessaria vitae divinae apparitio conspici non potest. Altera tamen ex parte mundus neque quoad originem, neque quoad evolutionis metam a Deo omnino disiungendus, sed utraque potius ratione ad eum est referendus, quum facultas ex se et pro se ipso existendi et vitam degendi Deo soli conveniat.[4]) Quidquid igitur praeter Deum existit ac vita fungitur, ut sit et vivat,

---

tetur, non nec moritur? Eequanta cognatio atque affinitas inter motum et mortem! Nam quod mutatur, desinit esse, quod erat, et incipit esse, quod non erat. Eequid est aliud mori? ... Quodsi Deus mori non potest, quia Deus est, eo ipso, quo Deus est, incommutabilis est; ut omnino inde solus habeat immortalitatem, unde solus habet immutabilitatem." *Cornel. Mussus* l. c. L. II. c. 10.

[1]) Hunc locum explicans s. *Augustinus,* „vera immortalitas," ait, „incommutabilitas est." De Trinit. L. I. c. 1. Cf. de doctr. christiana L. I. c. 32. Confession. L. I. c. 6.

[2]) *Boëthius.* Cf. *Thom.* Summ. P. I. qu. 10. artic. 1.

[3]) Cf. *Bossuet,* élévations sur les mystères. Tom. I. pag. 113.

[4]) „Cum enim Deus sit ipsum Esse, oportet, quod Esse creatum sit proprius eius effectus." *Thom.* Summ. P. I. qu. 8. artic. 1.

Deo debet; cuius operatio, qua libertate motus ea produxit. quae existendi copiam ex se non habent, *creatio* vocatur.[1]) Notione autem creationis quum haec dependentia, tum illa propria subsistentia mundi exprimitur. Utramque menti profunde impressam tenere, ad vitam rerum creatarum recte intelligendam riteque constituendam plurimum interest. Quamvis igitur Deo soli competat, ut necessario existat, attamen mundus quoque, postquam conditus est, desinere nequit, quum Deus sibi non contradicat. „Praeceptum posuit et non praeteribit." Omnis substantia[2]) qua talis protensiva saltem gaudet aeternitate; quo iure et multitudo spirituum singulorum et substantia, ex qua universum regnum naturae formatur, utuntur. Quum vero substantiae creatae a substantia absoluta eo differantur, quod existentia et vita in iis non coincidant, velut in ista, sed potius a potentia in actum sint perducendae[3]), in utroque mundi regno, spirituali scilicet et naturali, discernendae sunt *substantia* (quae existentiam constituit neque interire potest) et eius evolutiones, quibus *vita* substantiarum singularum transigitur. Quemadmodum autem substantiae creatae a Deo dependent in existendo, ita vita earum in operando. Quaevis vita enim quum sit existentiae manifestatio atque pro huius dignitate vel sublimior vel deiectior: efficitur, ut existentia dependens vita quoque dependente ac limitata fungatur. Hic vero defectus, quo omnis creaturarum vita laborat, eo solum modo expleri poterit, ut quaevis vita creata vitae eminentiori, ex qua vigorem trahat atque virtutem, committatur eaque se dirigi sinat et hac ratione denique „pergat ad incommutabilem vitam et toto affectu inhaereat illi."[4])

---

[1]) Cf. *Richard. Victor.* De Trinit. L. II. c. 8.

[2]) „Secundum enim, quod per se existit et non in alio, vocatur subsistentia; illa enim subsistere dicimus, quae non in alio, sed in se existunt." *Thom.* Summ. P. I. qu. 29. artic. 2.

[3]) Cf. *Joa. Damascen.* de orthod. fid. L. III. c. 15.

[4]) *August.* de doctr. christ. L. I. c. 22. — „Ecquam belle inquit theologia gentium: *Omnia orant praeter Primum!* Quid est enim: Omnia orant praeter Primum, nisi: Omnia egent praeter Deum? Ille enim est bonum primum, summum, maximum, plenum, perfectum, sufficiens ... Etenim omnis alia natura manca est, de-

Videmus enim omnia tunc vegeta et perfecta (simulque pro singulorum indole beata), si cum vita sublimiore connectuntur; a qua si avelluntur, aut omnino pereunt aut nonnisi aegre subsistunt. Separatio autem, qua consortium cum superiore vitae genere penitus aufertur, *mors* vitae inferioris est et appellatur.[1] Vita nimirum, quum ex mutuo dandi et recipiendi commercio constituatur, et influxu alterius eo magis indigeat, quo debilior in semetipsa cernatur, extinguitur, quatenus ab isto nexu recedit. Sic v. c. functiones vitales bene operantur prospereque procedunt, si cordi, functiones sensitivae, si cerebro coniunguntur; interrupta vero communicatione sensus singuli deficiunt et corrumpuntur. Ita quoque animus, si Deo coniunctus persistit totamque gerendi rationem ex eius voluntate componit, omnipotentiae, stabilitatis atque immutabilitatis divinae quodammodo particeps[2] evadit, supplens defectum propriae infirmitatis et mutabilitatis.[3] Sin vero superbia elatus sibi sufficere velit ac fonte ubertatis divinae non amplius irrigetur, exsiccatur atque languescit et quodammodo moritur.[4] Nam

---

bilis est, egena imperfectaque est, quousque ad illam Dei fontalem bonitatem singula quaeque recurrant, ut illis completo orbe fiat ultima accessio." *Cornel. Mussus.* l. c. L. II. c. 21.

[1]) „Mors spiritus a Deo deseri; mors autem corporis a spiritu deseri." *August.* de Trinit. L. IV. cap. 13.

[2]) Cf. *August.* confession. Lib. II. cap. 6.

[3]) *„Sanitas animi est firmissime inhaerere potiori, hoc est incommutabili Deo."* *August.* de doctr. christ. L. I. c. 23. Cf. *August.* epist. 222. ad Consentium.

[4]) „Nulla vita est, quae non sit ex Deo, quia Deus utique summa vita est et ipse fons vitae; nec aliqua vita, in quantum vita est, malum est, sed in quantum vergit ad mortem. Mors autem vitae non est nisi *nequitia*, quae ab eo, quod *necquicquam* sit, dicta est. Vita ergo voluntario defectu deficiens ab eo, qui eam fecit, et cuius essentia fruebatur, et volens contra Dei legem frui corporibus, quibus eam Deus praefecit, vergit ad nihilum; et haec est nequitia ... Mors non esse cogit, quicquid moritur, in quantum moritur. Nam si ea quae moriuntur, penitus morerentur, ad nihilum sine dubio pervenirent. Sed tantum moriuntur, quantum minus essentiae participant. Quod brevius ita dici potest: Tanto magis moriuntur, quanto minus sunt ..." *August.* de vera relig. „In quantum mali sumus, in tantum etiam minus sumus." *August.* de doctr. christ. L. I. c. 32. Cf. *Cassiod.* de anima, cap. 18.

„habet et anima mortem suam, cum vita beata caret, quae vera animae vita dicenda est; sed immortalis ideo nuncupatur, quia qualicunque vita, etiamsi miserrima est, nunquam desinit vivere.“ [1]) — Regnum autem naturae (cuius formationes singulae tantummodo vita fruuntur, quatenus communi fonti sunt colligatae, quatenus vero solvuntur et avelluntur ab eo, morti obnoxiae fiunt) maiore vitae defectu laborat; quippe quod ne eam quidem, in quam omnis vita tendit, sui conscientiam per se obtinere possit (ut supra probavimus); et cuius universa operandi ratio inanis omnino appareat, nisi ex animi commercio evolutionis suae metam et bravium consequatur. [2]) Hanc vero animi et naturae societatem procuratam aspicimus in *vita humana,* in qua utrumque vitae creatae genus, dum natura animo, animus autem Deo adhaeret, scopum sibi constitutum attingit. — Vita autem humana non modo in se spectata praecipue digna videtur, quam investigemus, quum in ea velut in compendio omnes vitae species comprehendantur; sed eam inprimis ob causam, ut de praesenti eius statu, qui ab integra et germana primitivae animi corporisque conditionis societate defecit, iustam feramus sententiam; — ab iis aeque remoti, qui vitam ipsam absolutam, nedum humanam, fragilitati et mortalitati regni naturae omnino obnoxiam esse proclamant, [3]) ac reliquis non consentientes, qui atram mortis noctem super orbem diffusam sereno restauratoris lumine illustrari non intelligunt.

---

[1]) *Aug.* de Trin. L. XIV. c. 4. Cf. eiusd. epist. 38. ad Hieronym.: „De animae mortibus s. scriptura multa commemorat ... Sed quod ita moritur alienata a vita Dei, ut tamen in natura sua vivere non omnino desistat, ita mortalis ex aliqua causa invenitur, ut etiam immortalis non sine ratione dicatur.“ — Cf. etiam eiusd. enchirid. c. 113.

[2]) Cf. *Pabst,* der Mensch und seine Geschichte. S. 47 ff.

[3]) Merito animadvertebat *Dr. Maier* (Entwicklung der neutestamentlichen Begriffe von *Ζωη, αναστασις, κρισις* — besond. abgedruckt Freiburg 1840. S. 29.): „Diess ist eine der grossen Verirrungen des Heidenthums und zum Theile auch der neuern Philosophie, dass man sich in die Anschauung des Naturlebens verlor und dessen Erscheinungen auch auf diejenigen Geschöpfe, ja auch auf das absolute Wesen übertrug, wo kein Naturleben ist.“

§. 6.

Indoles singularis naturae vitaeque humanae, in qua spiritus corpusque connubium inierunt, observanda et in animo imprimenda est, ut vitae, mortis et resurrectionis nostrae rationem rite cognoscamus.

„Magna quaedam res est homo factus ad imaginem et similitudinem Dei," ait s. Augustinus, „non in quantum mortali corpore includitur, sed in quantum bestiis rationalis animae honore praecellit."[1] Paulo post addit: „Sed neque corpus suum quisquam odit. Verum est enim, quod ait Apostolus: Nemo unquam carnem suam odio habuit. Et quod nonnulli dicunt, malle se omnino esse sine corpore, omnino falluntur. Non enim corpus suum, sed corruptiones eius et pondus oderunt. *Non itaque nullum corpus, sed incorruptum et celerrimum corpus volunt habere.* Sed putant, nullum corpus esse, si tale fuerit, quia tale aliquid esse animam putant. Quod autem continentia quadam et laboribus quasi persequi videntur corpora sua, qui hoc recte faciunt, *non id agunt, ut non habeant corpus, sed ut habeant subiugatum et paratum ad opera necessaria.* Libidines enim male utentes corpore, id est, consuetudines et inclinationes animae ad fruendum inferioribus per ipsius corporis laboriosam quandam militiam extinguere affectant. Nam non se interimunt, sed curam suae valetudinis gerunt. Qui autem perverse id agunt, quasi naturaliter inimico suo corpori bellum ingerunt. Tamen nec isti, qui falsa opinione depravati corpora sua detestantur, parati essent, unum oculum vel sine sensu doloris amittere, etiamsi in altero tantus cernendi sensus remaneret, quantus erat in duobus, nisi aliqua res, quae praeponenda esset, urgeret. Isto atque huiusmodi documento satis ostenditur eis, qui sine pertinacia verum requirunt, quam certa sententia sit Apostoli, ubi ait: Nemo enim unquam carnem suam odio habuit."[2] Hisce sententiis s. doctor genuinam de homine doctrinam comprehendebat, aeque detestans assertionem, ex qua in genere nostro solummodo culmen vitae naturalis

---

[1]) *August.* de doctrina christiana L. I. cap. 22.

[2]) *August.* de doctrina christ. L. I. cap. 24.

conspicitur; altera tamen ex parte etiam inferiorem naturae nostrae partem ad huius essentiam et integritatem necessario pertinentem affirmans simulque rationem indicans, qua permoti complures perducantur, ut corpus humanum minoris aestiment, quam par sit. Quodsi enim, ut supra exposuimus, duae substantiae duoque vitae genera Deo originem debent, quae existentiae limitibus circumscriptae vestigia produnt; profecto utraque substantia non solum separata existens per se bona, quia ex idea et voluntate divina profecta, atque ideo digna est, quae evolvatur et persistat: sed insuper etiam multo maiore efficacia tunc fruetur, quando per connubium, quod inierunt, mutuo consortio et subsidio utuntur. Natura praesertim, quae iam in se multiformis divinae sapientiae atque potentiae testis evadit et instrumentum, quamvis ipsa nihil horum intelligat, tantopere abest, ut animo unita in machinae locum detrudatur, quam iste pro arbitrio aut adhibeat aut reiiciat, vel etiam (si mavis) impedimentum, quo ille in operando retardetur, evadat; ut e contrario perfectam conditionem vitaeque metam nonnisi spiritui sociata attingat, ipsique animo multos operandi modos contulerit, qui puro spiritui prohibentur, quum animi corporisque concursus in iis requiratur.[1]) Unde neque animo obstaculum, neque naturae detrimentum hoc utriusque regni commercio, quale in genere humano conspicitur, sed summa potius utilitas affertur. Omnino eximium quoddam et admiratione dignum decus et complementum mundo universo creatione hominis suppeditatum est; non secus ac si magnum aedificium culmine, quod radiis ex utraque columnarum serie convergentibus efficitur, ab architecto coronatur. Quemadmodum autem ad hoc decus efficiendum utrumque aedificii latus aeque necessarium videtur, ita etiam utraque substantia creata contribuit, ut in natura humana totum creationis opus ad perfectionem perducatur et utrumque regnum, spiritale videlicet et naturale, non modo inter se, sed etiam auctori iungantur. Ut vero perfecta regni spiritalis et naturalis concordia in natura humana conspiceretur, oportebat (quum Deus multos creavisset spiritus, sed unam modo naturae substantiam, quae formationes individuas effingeret)

---

[1]) Cf. *Tertullian.* de resurrect. carn. cap. 7.

secundum ideam divinam, ut ex primo homine a Deo creato genus humanum prodiret, cuius membra singula quoad corpus ex protoparentibus, quoad animum vero a Deo ipso originem ducerent.[1]) Universo autem generi specialis haec vitae destinatio a conditore assignata erat, ut, dum natura externa spiritui, hic vero Deo uniretur et obediret, totus mundus evolutionis bravium et stabilitatem consequeretur.[2]) Integritas igitur et salus vitae humanae hac duplici subiectione continetur; ac quotiescunque de ea iisque, quae ad eam spectant, agitur, neutiquam de animo solo, neque de solo corpore sermo instituitur, sed de utroque coniuncto, quum societatem tam arctam inierint, ut alterius commodum vel damnum alteri necessario communicetur. Animus humanus, in se spectatus, quum sit substantia propria, immortalitate fruitur; corpus vero, in se modo spectatum, nullatenus differtur a reliquis individuis a natura productis horumque instar corruptioni quidem obnoxium est; a qua tamen eam ob causam, quod corpus *humanum* erat, a primordio eximebatur, quum id, quod „naturae vi" obtinere non posset, „beneficio creatoris" (Catech. Roman.) assequeretur,[3])

---

[1]) Unde non solum propter praevisam ruinam (cf. *Pabst,* Adam und Christus S. 40), sed ex ipsa indole naturae humanae, quae vitam utriusque substantiae creatae in se repraesentaret et coniungeret, consequebatur, ut ex Adamo genus humanum evolveretur. Quae autem primarie ex loco et destinatione, quibus natura humana in universo creaturarum ordine fungebatur, iam efficiebantur, haec secundarie quoque in ipsius naturae nostrae commodum vel detrimentum cedere possunt. Omnino, praesertim in rebus divinis, non utilitas, sed res ipsa eiusque idea inprimis est respicienda, istaque ex hac demum derivanda et deducenda. In oratione v. c. et ieiunio ab ecclesia praescripto nequaquam prior est ratio commodi spiritualis, quod afferunt, sed ea potius ratio maxime est spectanda, qua ex religione et conscientia peccati necessario procedunt et cum ea cohaerent. Ita etiam hac in re; de qua sententiam ab *J. H. Pabst* prolatam iam innuebat *Joa. Damasc.* de orthod. fide. L. II. c. 30. Cf. Lib. IV. c. 25.

[2]) „Credo divina miseratione provisum, ut corpus subderet animae, animam sibi, totumque salutariter ad Deum respiceret creatorem." *Cassiod.* de anima c. 11. — „Omnia sub pedibus hominis subiecisti, ut solus homo totus Tibi subiiceretur." *Aug.* soliloq. c. 20. Cf. *Günther,* Peregrins Gastmahl S. 536.

[3]) Cf. *August.* de Genes. ad liter. Lib. VI. c. 24.

qui corpus in se mortale cum animo immortali tantopere colligavit, ut ad eiusdem personae communionem eveheretur.[1] Natura in corpore humano spiritui dedita hac subiectione supra limites vulgares elevata et specialem adepta est sortem ac dignitatem, ita ut unquam ab animo eiusque operatione non dependeat et cum illo adipiscatur aut vitam aut mortem. Deus quidem in primis hominibus animum secum corpusque cum animo intime connectens utriusque salutem et integritatem procuraverat; hoc vero vinculum secundum vitae creatae habitum eiusmodi erat, ut hominibus ipsis facultas concessa esset illud aut arctius adstringendi aut solvendi, id est, toti naturae suae aut vitam promerendi aut mortem contrahendi.[2]

„Homo enim," ut s. Augustini verbis utar, „in paradisi felicitate tanquam in umbra vitae collocatus erat, unde iustitia custodita in meliora conscenderet."[3] Quemadmodum igitur ad conservandam vitam humanam, qualis a Deo condita erat, remedium naturae huic accommodatum in ligno vitae constitutum erat, ita etiam occasio, qua re externa probaretur, quid mens

---

[1]) Intimum hoc commercium, quo corpus in unitatem personae ab animo recipitur, bene indicavit scriptor libri „de spiritu et anima," qui inter opera s. Augustini antea habebatur, cap. 14: „Formidat interitum (anima), quae mori non potest; timet defectum, quae per naturam non potest deficere...."

[2]) „Totius hominis mors est, cum anima a Deo deserta deserit corpus; ita enim nec ex Deo vivit ipsa, nec corpus ex ipsa." *Augustin.* de civit. Dei Lib. XIII. c. 2. Cf. *Maier*, l. c. S. 28—39.

[3]) *Augustin.* enchirid. c. 25. In eiusdem operis capite 105. de hac re ita disseruit: „Ordo praetermittendus non fuit, in quo Deus voluit ostendere, quam bonum sit animal rationale, quod etiam non peccare possit, quamvis sit melius, quod peccare non possit; sicut minor fuit immortalitas, sed tamen fuit, in qua posset etiam non mori, quamvis maior futura sit, in qua non possit mori." — De perfectione autem, quae ex servato mandato divino hominibus evenisset, annotavit: „Mutabile bonum, quod est post incommutabile bonum, melius bonum fit, cum bono incommutabili adhaeserit amando atque serviendo rationali et propria voluntate." *Aug.* de Genes. ad liter. Lib. VIII. cap. 14. — Similiter statum originalem Theophilus paucis ita comprehendit: *Μεσος γαρ ὁ ἀνθρωπος ἐγεγονει, οὐτε θνητος ὁλοσχερως, ουτε ἀθανατος του καθολου, δεκτικος δε ἑκατερων.* *Theophil.* ad Autolyc. Lib. II. no. 24. cf. no. 27.

interna amplecti, quid respuere vellet, divinitus provisa erat.[1]) Atque, quum in natura humana omnia interna foris appareant, ita etiam ex intima huius naturae indole factum est, ut mors illa spiritualis, quam transgrediendo praeceptum divinum primi parentes contraxerunt, corporis quoque mortem efficeret. Quum consilium illud, quo permotus conditor regnum naturae cum animo ad mutuum vitae commercium coniunxerat, ab hominibus esset spretum et repudiatum, hi ipsi naturae ac destinationi suae repugnabant et contradicebant. Mors igitur corporis, quamvis peccati poena disertis verbis a Deo praedicata esset, ex universo tamen ipsius naturae humanae peccatricis habitu necessario consequebatur. „Diabolus,“ inquit s. Augustinus, „persuasor peccati et praecipitator in mortem ... ad operandam duplam mortem nostram simplam attulit suam. Per impietatem namque mortuus est in spiritu; carne utique mortuus non est: nobis autem et impietatem persuasit, et per hanc, ut in mortem carnis venire mereremur, effecit. Unum ergo appetivimus iniqua suasione, alterum nos secutum est iusta damnatione. Propterea quippe scriptum est: Deus mortem non fecit, quia causa mortis ipse non fuit: sed tamen per eius retributionem iustissima mors irrogata est peccatori: sicut supplicium iudex irrogat reo, causa tamen supplicii non est iustitia iudicis, sed meritum criminis.“[2]) Profundissime etiam animis nostris inest persuasio de peccatore indigno, qui vivat;[3]) cui sententiae sacrificiorum per totam

---

[1]) De Ligno vitae et de arbore scientiae boni et mali nec non de efficacia, quam uniuscuiusque usus habuerit ad vitam protoparentum aut quoad animum et corpus in duplici ista subiectione et integritate conservandam aut ex ea deiiciendam, luculenter disputavit s. *Joa. Damascenus,* tres de hisce arboribus afferens expositiones, quarum prior literam s. codicis, sequentes autem universam conditionem hominum inter Dei et sui amorem in medio constitutorum potissimum respiciunt. *Joa. Dam.* de orthod. fide Lib. II. c. 11. Cf. etiam *August.* de Genes. ad lit. L. XI. c. 32.

[2]) *August.* de Trinit. L. IV. c. 12. Cf. *Maier,* exegetische Erläuterungen zum dogmat. Theile des Römerbriefs. Freib. Zeitschrift für Theologie. Bd. 15. S. 45.

[3]) Cf. *Lasaulx,* die Sühnopfer der Griechen und Römer und ihr Verhältniss zu dem Einen auf Golgatha. Würzburg 1841. S. 6: „Weil für den Menschen das Leben ein Geschenk der Gottheit ist

antiquitatem vigentium ritus saepe horrendi suffragantur.[1] Hac ratione nimirum non solum explicatur, unde fiat, ut persaepe gravium criminum rei supplicium sibi exoptent ac libentissime subeant; sed etiam suprema sine dubio cernitur causa, qua permota iustitia vindex sceleratos capitis damnet.[2] Huc quoque spectant cantilenae istae lugubres, quibus gentes antiquae culpae conscientia perculsae neque certa redemptionis spe erectae mortem vitae praeferendam esse fatebantur.

Arcto hoc nexu, qui inter mortem animi et corporis intercedit, considerato perspicuum fit, quod neutiquam sola mortalitas, sed mors ipsa velut poena „latae sententiae" eodem peccati momento incurrenda imminuerit primis parentibus;[3] quod etiam ex s. scriptura colligitur, „quando quidem Deus

---

auf die Bedingung, dass er ihre Gebote erfülle, so hat, streng genommen, jeder Sünder gegen Gott sein Leben verwirkt. Es ist ein altes Wort, dass der Sünder, so viel an ihm liegt, ein Mörder sei an dem göttlichen Willen...." Cf. S. 24.

[1]) Cf. *Tertull.* apologet. c. 8. *Eiusd.* Scorp. c. 7. *Lactant.* institt. div. L. l. c. 21.

[2]) Bene animadvertebat s. *Augustinus:* „Qui vero morte mulctatur, numquid moram, qua occiditur, quae brevis est, eius supplicium leges aestimant; aut non potius, quod in sempiternum eum auferant de societate viventium?"

[3]) Merito disputat *J. H. Pabst:* „Wenn die Ursünde im Menschen, wie im Engel, Todsünde war im vollen Sinne des Wortes, so musste der leibliche Tod des erstern als einfache, nothwendige und unmittelbare Mitfolge seines einfachen, freien sündigen Actes in seiner vollen Entschiedenheit plötzlich und augenblicklich mit der Schuld und dem Tode des Geistes zugleich und zumal eintreten. Es war dieses Untergehen des Menschen als Menschen nichts, als die diesem eigenthümliche Modification des Todes als Sündenfolge überhaupt, — war Zeugniss des dualistischen Bestandes des Menschen und seines wesentlichen Unterschiedes vom reinen Geiste." *Pabst,* Adam u. Christus, S. 47. f. Cf. integr. paragr. 23. huius operis. (Cur iam non amplius mortali peccato mors e vestigio incurratur, idem autor ex oeconomia redemptionis ostendit: Januskõpfe S. 95.) — Mortem necessariam et proximam peccati comitem etiam s. Theophilus habuisse videtur, quum diabolum admodum aegre tulisse asserat, homines lapsos non tantum vivere adhuc, sed etiam liberos procreasse; et hac de causa Cainum ab eo impulsum esse dicat, ut fratrem interficeret. Cf. *Theophil.* ad Autolyc. L. II. no. 29.

non dixerit: *Si* ederitis, morte moriemini, sed: *Quo die* ederitis, morte moriemini."[1]) Negari nequit, vulgarem huius loci (Genes. 2, 17.) explicationem, secundum quam mortalitas sola inobedientiae poena sancita fuerit, eo originem duxisse, quod comminatio illa divina stricte explicata effectu destituta fuisse videretur. Quare pietate permoti multi Patres plurimique interpretes orthodoxi versioni favebant iam a Symmacho propositae: θνητος ἐσῃ; dum e contrario interpretes, qui hac s. codicis veneratione se implicari non sinebant, genuinam sententiae vim debilitari et corrumpi ista explicatione, libenter obiiciant.[2]) Sed illorum anxietatem horumque petulantiam luculenter removet Antonius Guenther haec habens: „Das Nichtsterben des Menschen am Tage seines Ungehorsams macht das Wort: „„An welchem Tage du davon essen wirst, wirst du des Todes sterben"" noch gar nicht zum pädagogischen Schreckenberge; denn jenes Nichtsterben trat nicht etwa deshalb nicht ein, weil in jenem Worte zu viel, sondern weil in ihm nicht Alles gesagt worden, was von Gott gesagt werden konnte, ohne dass er mit sich und mit der Idee des Menschen in Widerspruch getreten wäre."[3])

§. 7.

Haec philosophi Vindobonensis verba ad sortem humanam, qualis postea evaserit, exponendam nobis viam pandunt, in

---

[1]) *Aug.* de Genes. ad lit. Lib. IX. c. 10. Vim huius vocis sentiens s. doctor non solum in eiusdem capit. 10. decursu, sed etiam postea (Lib. XI. c. 32., ubi disertis verbis ait: „Haec mors ea die accidit, qua factum est, quod Deus vetuit") ex epist. ad Roman. cap. 8., 10.; 7, 24. eruere tentat, quomodo peccato commisso corpus „mortuum, quamvis utique et mortale" factum sit.

[2]) V. c. Vater annotavit: „Die angedrohte Strafe geht daher nicht in Erfüllung. Wenigstens in den Worten liegt nur der Gedanke: „„an dem Tage, wo du davon issest, wirst du sterben""; nicht der: von dem Tage an, wo du davon essen wirst, wirst du sterblich werden." Cf. *Leopold Schmid,* Erklärung der Genesis. S. 221.

[3]) *Günther,* Recension von *Drey's* Apologetik. (Fichte'sche Zeitschrift für Philosophie und speculative Theologie. Bd. IV. 1838.)

qua et tristis sententia mortis et laeta spes resurrectionis sibi obviam veniunt.

Iis, quae antea dicta sunt, elucet, corpus humanum animo in perpetuam vitae societatem a Deo traditum fuisse, hac vero conditione, ut quod Deus coniunxerit, homo non separaret; sin vero secus ageret, totam eius existentiam labefactari, ita ut non modo ipse, sed in ipso natura humana periret. Revera autem hoc vinculum divinitus alligatum disruptum esse, praeter s. scripturam non modo communis quoque gentium traditio affirmat, sed uniuscuiusque etiam experientia propria, qua saepissime perducitur ad exclamandum: Ab initio non fuit sic! — Quomodo autem fieri potuit, ut nihilosecius protoparentes peccato commisso superstites essent atque ex iis genus humanum procederet, quum praesumere non liceat, a sanctitate divina concedi, ut multiplicatis hominibus etiam dominatus peccati in immensum augeatur? Sanctitati potius atque iustitiae inviolabili, quaecunque ordini divinitus constituto adversantur, e vestigio comprimenda et auferenda esse videntur; ita ut, accurate loquendo, scelera eorumque sectatores non perferat, sed potius, dum hisce summopere se opponat, solummodo quod adhuc in iis restat et inest bonum et salutare, conservet.[1] Quemadmodum igitur angeli in ruinam lapsi morti perpetuae confestim tradebantur, ita in homines quoque peccatores duplex illa mors e vestigio irruisset ad destruendam naturam contra maiestatem divinam rebellantem, nisi sapientia Dei in natura humana, lapsa quidem, locum vidisset medelae capacem hancque medelam, quam sapientia vidit, bonitas adhibere decrevisset. Hic locus autem, quo hominum labes ab irreparabili angelorum ruina discernitur, merito conspicitur in illo dualismo, quo homines ab angelis[2] distinguuntur. Hoc discrimine non solum efficitur, ut eiusmodi separatio absoluta, qualis spiritibus mortem absolutam contraxit, in natura humana accidere neutiquam possit; sed insuper perfecta ruinae humanae reparatio permittitur, si Deus eam procurare voluerit. Eo ut in natura hu

---

[1]) Omnis malus aut ideo vivit, ut corrigatur, aut ideo vivit, ut per illum bonus exerceatur," inquit *August.* in ps. 54.

[2]) Cf. *Pabst*, Januskôpfe S. 90 f.

mana corpus spiritui sociatum sit, restaurationi conditionis humanae aditus panditur; unde Tertullianus carnem „salutis cardinem" summo iure appellavit. [1])

Primum enim eae tantummodo personae, quae omnino singulares subsistunt, i. e. spiritus puri, qui invicem a se non dependent, tali quoque energia intendere possunt, ut se absolutos sui ipsorum dominos constituant, qualis in hominibus cogitari nequit. Hi potius (in quorum constitutione propter corpus, cuius ope et cum toto genere, et cum universo regno naturae cohaerent, solidaritas (ut ita dicam) cum singularitate consociatur et haec singularitas ista interveniente temperatur) malitiam diabolicam attingere seseque ita efferre et intumescere, ut iam non amplius quoquam indigere velint, neutiquam possunt. Animo scilicet, etiamsi se solum sibi sufficientem affirmare et constituere vellet, conditio dependens et subiecta a corpore continuo efficacissime inculcatur; ipseque cibus ac potus, quo homo vescitur, hac in re paedagogi munus suscipiunt, cui obedire debet, nisi e vivis decedere velit! Nexus iste, quo inferior hominis pars cum universa natura coniungitur, etiam superiorem a ficta illa et simulata celsitudine perpetuo deiicit. Tantaque est huius commercii efficacia, ut, si quis superbia elatus ac perverso corporis et materiae odio ductus, istorum apud Indos poenitentium instar, animi conditionem a naturá prorsus immunem affectet, violentia quadam corporis vincula rumpat et de hoc studio insolenter glorietur, natura ipsa ultionem quodammodo petat suumque dominatum eo magis plerumque manifestet. [2]) Omnino vita humana medium inter regnum spirituum atque naturae locum occupat; a necessitate, qua haec deprimitur, atque ab arduo illo tramite, quo spiritus puri incedebant, aeque remota. Dum regnum naturae, propter inferiorem locum, quo versatur, labi nequeat; dum in angelis praevaricantibus verticis, a quo deiecti sunt, proclivitas ruinam irreparabilem reddiderit: naturae nostrae conditio inter utrumque constituta talis est, quae lapsui quidem exposita, lapsis tamen,

---

[1]) *Tertull.* de resurrect. carn. cap. 8.

[2]) Etiam hac in re „extrema se tangunt," quum Pseudospiritualismus in Materialismum plerumque perducat.

si desuper adiuti fuerint, resurgendi facultatem non auferat. Quum igitur in daemonibus similitudo divina tantopere deleta sit, ut mendacio, foeditate malitiaque omnia veritatis, pulchritudinis ac bonitatis vestigia in se exterminaverint, in hominibus e contrario animi cum regno naturae connubium impedit, quominus, quia universa natura propter legem necessitatis ipsi inditam numinis divini documenta in se conservat, perversitate funditus inficiantur. Corpus ergo fidi custodis vices quodammodo gerit, quo vita humana quoad cognitionem a falsitate absoluta, quoad artem a deformitate perfecta, quoad ethicam a malitia completa praeservetur; ac tanto hic animi cum corpore nexus valore fungitur, ut perversitatem diabolicam *ne cogitare quidem* possimus; immo vero, ut ipsa poesis vel pictura eius imaginem vel effigiem exprimere nequeat.

Plurimum igitur abest, ut ii limites, quibus animus a corpore continetur, perversitatibus et defectibus, qui in hac vita occurrunt, per se ansam porrigant; magnoque errore obnubilati conspiciuntur, qui soluto hoc vinculo veram vitam atque integritatem demum obtineri posse arbitrantur; quum e contrario natura humana non solum primitus sit destinata, ut animum corpusque in se coniungat, sed etiam hoc commercio prohibeatur, quin funditus corrumpatur. Insuper autem hic dualismus, quo multitudo spirituum singulorum cum corporibus ex eadem radice oriundis in natura humana copulatur, praeter negativam hanc avertendae perditionis absolutae efficaciam etiam positivam affert utilitatem, quatenus non solum ruinae gravitatem minuat, sed etiam eius reparandae remedium praebeat. Genus enim humanum, quale a Deo conditum est, quum ex altera parte regno naturae adscriptum sit, non inepte comparatur arbori ex radice in ramos diffundendae, quorum existentia et valetudo, quamvis etiam per se marcescere possint, inprimis tamen eo dependet, utrum radix ipsa salva et incolumis conservetur necne. Licet autem generis humani radix, amissa virtute originali, coelestis vinitoris spem fefellisset seseque dignam reddidisset, quae exstirpata in ignem mitteretur: attamen restabat remedium sanitatis eo restituendae, ut radici, quamquam vitiatae, persistere et pullulare permitteretur, ac dein uni ex ramis productis, cuius

ferocia nativa cultui se maxime accommodasset,[1]) novus frutex insereretur tali vigore praeditus, qui et totius arboris aegritudinem in se traductam superare et absorbere eiusque loco propriam virtutem illi communicare posset. Huiusmodi remedium divina bonitas in natura humana adhibitura radicem evellendam sustinuit prolemque sauciatam generari sinebat, „melius iudicans de malis bene facere, quam mala nulla esse permittere,“[2]) mortemque contractam in morbum, a capite in membra descendentem, tempore opportuno sanandum convertens. —

Tali ratione in genere humano vitae originalis ruina, mortis debitum et reparationis initium in idem momentum coincidebant. Vitae illius originalis auctor Deus extiterat, naturam humanam ita ordinans, ut utraque eius pars vitae eminentiori inhaerens salvari posset. Homo ipse loco eius mortem sponte elegerat, ex qua ut resuscitaretur neque sola voluntas benignitatis divinae, neque ullus labor humanus sufficiebat. Ad vitam benigne a Deo conditam ex morte hominibus sponte lapsis contracta liberandam et restaurandam genus nostrum Dei-hominis operatione indigebat,[3]), in qua gratia et iustitia unirentur. Procurata autem haec est in persona Salvatoris, qui „reconciliavit nos Deo, hominum et Dei mediator, Verbum apud Deum, caro apud nos, Verbum caro inter Deum et nos“.[4]) Hic novus generis humani parens constitutus est, qui iam ab initio vim suam eo probabat, ut naturam humanam, quo die pomo exitioso interitum sibi contraxit, non *contra* comminationem divinam, sed *praeter* illam conservaverit. Ipsaque haec generis vitiati conservatio evadebat reparationis indicium, ita ut naevi originalis propagatio et futura redemptio invicem a se dependeant[5]) atque in quovis membro efficacia utriusque operetur. Haec reparationis fiducia conservato genere humano exhibita communi gentium conscientiae omnino infixa erat. Promissiones iam

---

[1]) Hunc locum in genere humano populus Israel divina providentia ductus obtinebat.

[2]) *Augustin.* enchirid. cap. 27.

[3]) Cf. *Lasaulx*, die Sühnopfer... S. 25.

[4]) *August.* de Genes. ad liter. Lib. VIII. c. 14.

[5]) Cff. *Pabst*, Adam und Christus. S. 52 f. *Guentheri* opera passim.

in paradiso ac postea patriarchis factae hoc indicant; necnon praecipue singularis illa vis, quae non solum apud Hebraeos. sed apud gentiles quoque benedictioni paternae tribuebatur.[1]) Aliquatenus etiam huc spectant, quae annotavit H. Windischmann de statu familiari apud Orientales: „Der Stammvater ist in der patriarchalischen Familie Priester und König, diesem selbst aber ist die Versöhnung (d. h. die Wiederkehr seiner selbst durch Geburt eines Sohnes) das Unterpfand der Versöhnung.[2])

§. 8.

Itaque genus humanum, postquam iam in origine dignum se reddidit, quod extingueretur, Redemptore solo interveniente servatum est. Securis iam ad radicem posita ab arbore arcebatur Deo respiciente surculum meliorem, cuius vigore aegritudo a radice in ramos transgressa repelleretur et sanaretur. Haec autem aegritudo, qua genus humanum laborabat, erat reatus ille originalis, quo natura nostra deprimebatur, et cuius pondus quavis culpa a membris singulis contracta augebatur. Huic igitur tollendo is, qui „Servus Dei“ per eminentiam a prophetis praedicatus est,[3]) insudavit et, quas peccatum attulerat poenas in se recipiens, catenas, quibus genus humanum ligabatur, resolvit. — Nobis autem de morte et resurrectione potissimum et consulto agentibus, in primis paulo accuratius est exponendum, qui locus morti et resurrectioni Dominicae in universo redemptionis opere sit mandatus. „Fructuosa Domini passio et gloriosa ipsius resurrectio,“ inquit Richardus de s. Victore,[4])

---

[1]) Cf. *Friedr. Schlegel,* Philosophie der Geschichte. Wien 1829. Bd. I. S. 139.

[2]) *Windischmann,* Philosophie im Fortgang der Weltgeschichte Bd. I. Cf. *Fr. Schlegel,* l. c. Bd. I. S. 204 f. Quamvis hisce illud beneficium praecipue intelligatur, quod ex Indorum opinione patres ex filiis eo recipiebant, ut haberent, qui pro ipsis mortuis sacrificia offerrent, attamen generalis, quae huic opinioni subest veritas: de propagatione generis humani velut redemptionis indicio, negari nequit.

[3]) Cf. *Jesai.* c. 42. c. 53...

[4]) *Richard. Victor.* Sermo in die Paschae. Edit. Paris. 1518. Tom. II. fol. 140.

„non solum facta sunt et signa, sed insuper remedia. Non solum sunt veritas et figura, sed etiam medicina. Veritas sunt, quia vere, qui mortuus est ex infirmitate, resurrexit ex virtute. Signa sunt et figura, quia mortuus est et resurrexit, ut peccatis mortui iustitiae vivamus. Medicina sunt, quia mortuus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram." — Quod igitur ad mortem Salvatoris pertinet, — ut genus humanum in amicitiam Dei, qua perdita morti quum spirituali tum corporali subiiciebatur, iterum eveheretur, debitum, inobedientia et rebellione contractum, perfectae obedientiae humilisque subiectionis merito inprimis compensandum erat et expiandum. Deinde autem humilis haec subiectio, quae inobedientiae priori opponitur, eo maxime perspicitur et probatur, quod promptissimam se exhibeat ad subeunda quaevis poenarum genera, quibus infligendis iustitia vindex laesam maiestatem protestatur clademque, quam ordini divino maleficus illaturus erat, in ipsius caput retorquet.[1] Unde ad vere satisfaciendum etiam id requiritur, ut vindicta peccato annexa vel alia passio aequivalens sponte patienterque suscipiatur atque hac ratione reatus quum culpae tum poenae deleatur. — Utrumque autem officium: quum obedientiam activam, tum poenitentiam pro humano genere subeundam Christus in cruce exspirans summopere explevit. Primum enim obedientia et subiectio maior Deo exhiberi nequit, quam si quis non modo vitae facultates et commoda sed vitam ipsam in eius honorem obtulerit atque atrocissimum quoque mortis genus non reformidet, si Deus id

---

[1]) „Nec fieri potest, ut voluntas propria non grandi ruinae pondere super hominem cadat, si eam voluntati superioris extollendo praeponat. Hoc expertus est homo contemnens praeceptum Dei ... Quid enim tam iniquum, quam ut bene sit desertori boni? Neque ullo modo fieri potest, ut ita sit: sed aliquando amissi superioris boni non sentitur malum, cum habetur, quod amatum est, inferius bonum. Sed divina iustitia est, ut, qui voluntate amisit, quod amare debuit, amittat cum dolore, quod amavit." *August.* de Genes. ad liter. L. VIII. c. 14. — „Ea est poena in morte corporis, ut spiritus, quia volens deseruit Deum, deserat corpus invitus; ut cum spiritus Deum deseruerit, quia voluit, deserat corpus, etiamsi noluerit." *August.* de Trinit. L. IV. c. 13.

subiri iusserit.[1] Animus elatus et rebellis sincera humilitate atque conscientia conditionis ex omni parte a Dei voluntate et miseratione dependentis evidentius compensari nequit, quam morte et passione coram Deo subeunda, qualem solummodo servi abiecti perpetiebantur.[2] Alteram autem satisfactionis partem quod attinet, genus humanum crimine laesae maiestatis divinae obstrictum revera dignum se reddiderat, quod mortis damnaretur; in supremi Domini internecionem, quantum in se erat, peccando conspirans vita se indignum effecit flagitiumque capitale commisit; pro quo expiando Christus sanguinem fudit. Postrema haec ratio maximi facienda est; quum intima vitae Salvatoris indoles non tantopere in observatione legis divinae activa, sed summopere in conditione humillima atque miserrima conspiciatur, quam pro genere humano susceperit. Hoc genus nostrum ex iustitiae lege meruerat, ut morte et exitio afficeretur; cui ut satisfieret, propriam vitam pretiosissimam impendit![3]) Ex universali quoque relatione, quae poenam inter legemque violatam intercedit, sponte patet, quod sola opera bona, etiamsi ad satisfactionem pro pristinis perversis ordinentur ac dirigantur, ad eam tamen efficiendam non sufficiant, quum legis maiestas exigere videatur, ne quis impune eam transgrediatur. Non solum igitur obedientiae, sed etiam iustae poenitentiae pro nobis susceptae ratio in morte Christi attendatur, necesse est. Qui priorem solummodo respiciunt, relationem accidentalem magis quam essentialem ad opus redemptionis huic morti tribuere videntur, cuius tamen necessitatem Paulus in epistola

---

[1]) Cf. *Anselm.* Cur Deus-homo? Lib. II. c. 11. — „Singulare exemplum obedientiae, quippe qui non venit facere voluntatem suam, sed eius, a quo missus est: non sicut ille, qui elegit facere voluntatem suam, non eius, a quo factus est.“ *August.* de Genes. ad liter. L. VIII. c. 14. — De horrendo crucis supplicio cf. *August.* de divers. 83 quaest. qu. 25. *Lactant.* institt. div. Lib. IV. cap. 26. Notus est praeterea locus apud Ciceron. c. Verrem de supplicio crucis.

[2]) Haec conditio servilis, quam Christus pro superbia nostra et rebellione suscepit, non solum in genere mortis, quod elegit, sed etiam v. c. in pretio proditionis etc. reperitur. Cf. *Flav. Joseph.* antiqq. Lib. XII. cap. 2. no. 3.

[3]) Cf. *Möhler,* neue Untersuchungen … S. 156—157. 1. Aufl.

ad Hebraeos scripta saepius affirmat. Cf. Hebr. cap. 9. Neque diffitear, quod ea, quae de valore sanguinis ad obtinendam reconciliationem effundendi proposita sint a compluribus viris doctis placita, etiamsi multum perversitatis non raro contineant[1]), aliquatenus tamen intima mentis nostrae conscientia, qua ad nexum quendam inter vitam ethicam et physicam constituendum impellimur, procul dubio approbari videantur.

Mira itaque Dei dispensatione factum est, ut mors Christi mortis nostrae facta fuerit medicina, ut „conferretur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem.“[2]) „Quia per superbiam homo lapsus est, (sapientia divina) humilitatem adhibuit ad sanandum. Serpentis sapientia decepti sumus, Dei stultitia liberamur. Nos immortalitate male usi sumus, ut moreremur; Christus mortalitate bene usus est, ut viveremus. Corrupto animo feminae ingressus est morbus; integro corpore feminae processit salus... Per feminam deceptos per feminam natus, homo homines, mortalis mortales, morte mortuos liberavit.“[3])

„Multa quoque alia diligentius considerantibus ... (ita progredi liceat cum s. Augustino) medicinae christianae adparet instructio“;[4]) nobis vero, „quos instituti operis peragendi necessitas rapit,“[5]) restat, ut praeter mortem Christi etiam ad eius resurrectionem animum intendamus, et quanti in reparationis nostrae opere ponderis sit, breviter complectamur.

Communi quodam sensu instigati omnes religionis christianae doctores hoc eventum maximi faciebant; idemque ipse fideles velut uberrimum laetitiae fontem sibi patefactum venerantur. Nimirum resurrectio Christi per se modo spectata inter omnia in N. T. mirabiliter gesta primum locum obtinet; neque minus Apostolis contra Judaeos disputantibus ulla res argumenta tam valida ac dilucida ministrabat, quam hoc miraculum, quo

---

[1]) Cf. *Günther,* Vorschule II. S. 274 ff. 1. Aufl.

[2]) *Leon.* Sermo 70. de pass. Domini.

[3]) *August.* de doctr. christ. L. I. c. 14. Cf. Enchirid. c. 108. De Trin. IV. cap. 10—14.

[4]) *Aug.* de doctr. christ. L. I. c. 14.

[5]) *August.* loc. cit.

Deus ipse patrocinium et vindictam Christi innocentis occisi suscepisse videbatur. Cf. Actor. 2, 31 seqq. 3, 13 seqq. Attamen haec vis resurrectionis Christi solummodo apologetica et externa in iis maxime est opportuna, qui fidei christianae initiantur; ipsis vero fidelibus altera de causa eaque multo interiore resurrectionem Salvatoris commendari atque augustissimam esse, universali Christianorum sensu comprobatur, qui recto quodam (ut ita dicam) instinctu permoti culmen redemptionis omnibus numeris absolutae gloriosum eam habent. Nam ita constituti sumus, ut mortem corporis eventum naturae nostrae contrarium existimemus; ita ut etiam ii, qui religione revelata destituti sunt, horrore eius perfusi appareant.[1]) Quicumque autem „Deum fecisse hominem inexterminabilem, invidiaque diaboli mortem introivisse in orbem terrarum" (Sap. 2, 23 sq.) divinitus edocti erant, fiduciam de reparanda animi vita conceptam cum spe restaurationis corporum tantopere sociabant, ut non modo posterior priori directe adiungeretur (Job. 19, 25), sed etiam, priore silentio praetermissa, alterius tantum mentio fieret, vel potius, ut spe resurrectionis corporum universa redemptionis fiducia comprehenderetur. (Actor. 23, 6. cf. Actor. 24, 21 et 26, 6—7.) Omnibus nimirum persuasio inerat, fore, ut non animus solus, sed totus homo statui pristino redderetur, et hac de causa ea praesertim servitus destrueretur, in qua non modo signum mortis spiritualis sensibile, sed generatim perversus naturae nostrae status evidentissime oculis nostris obversaretur.[2]) Quemadmodum igitur mortis in homines dominatus in morte corporis (qua partes eorum naturam constituentes seiunguntur totaque existentia humana *qua talis* aufertur) suprema quadam atque dilucida *specificaque ratione* manifestatur; ita victoria per Salvatorem de morte reportata ac generis nostri redemptio

---

[1]) Cf. infr. §. 10.

[2]) „Worin bestände der Tod eines Wesens anders, als in der durch alle seine Theile und Kräfte durchlaufenden Verhärtung und Erstarrung, vermöge welcher diese Theile sich aus der Allgemeinheit des Lebens aus- und absondern und in sich selber verschliessen? Er trägt daher völlig die Weise der Sünde, als der anfänglichen Selbstsucht an sich, ist deren Frucht und Werk." *Gügler*, nachgelass. Schriften, Bd. III. S. 297. Luzern 1828.

ab illo perpetrata eo praesertim probatur et affirmatur, quod in Christo resurgente ipsa natura humana prius dissoluta in integritatem restituta conspiciatur. *„Homo perierat; homo restitui oportuerat“*, inquit Tertullianus.[1]) Sicut quondam Judaei mortuos tangentes contaminabantur propter arctum, quod peccatum inter mortemque intercedit, vinculum;[2]) ita Christo redivivo fidelibus de perfecto redemptionis opere et de conditione humana in integrum restituta eadem de causa certissimum praebetur argumentum. Merito igitur S. Paulo pronuntiare licebat: „Si Christus non resurrexit, ... adhuc estis in peccatis vestris.“ I. Corinth. 15, 17.

Altera autem ratio, interior magis, huc accedit, quum non modo redemptionem obiectivam q. v. impetratam esse, sed etiam quemvis nostrum, si velit, per Christum novam fore creaturam hoc miraculo intelligamus. Etenim magnum profecto decrementum captura esset laetitia, quam de reconciliato genere humano ex Christi resurrectione concipimus, si tantummodo de peccatis condonatis, non vero simul etiam de vitae melioris reparatione omnibus speranda certiores fieremus. Similes tunc essemus debitoribus e carcere quidem liberatis, sed non habentibus, unde alimenta et quae ad vitae usum pertinerent reliqua, sibi compararent; similes hominibus habitu defoedato ac sordido iam non amplius deformatis, sed veste candida non indutis. Quum vero resurrectio Christi ad eam naturae nostrae partem spectet, qua omnes homines velut rami eiusdem arboris inter se coniunguntur; quum hanc ob rem *in Christo natura humana e sepulchro redierit*, huic evento vis specialis inest confirmandi, fore, ut universa natura humana reviviscat.[3]) De nostra ipsorum autem resurrectione hoc modo edoctis nobis ab effectu ad causam recurrentibus necessario est concludendum,[4]) quod, sicut corpus, ita etiam animus per Salvatorem tali modo restauretur, ut non solum peccata propter Christum remittantur, sed vetus homo revera exuatur, novusque loco eius resti-

---

[1]) *Tertullian.* de carne Christi cap. 14.
[2]) Cf. *Thom.* Summ. Sec. secund. quaest. 102. artic. 4.
[3]) Cf. *Thom.* Summ. P. III. quaest. 56. artic. 1.
[4]) Cf. *Tertull.* de resurrect. carn. cap. 38.

tuatur. Et hoc quidem loco nexum illum intimum intueamur necesse est, quo resurrectio Dominica et reparatio nostra cohaereant. In redemptione obiectiva videlicet mors Christi eiusque resurrectio eadem ratione connectuntur, qua in redemptione subiectiva q. v. iustificatio et sanctificatio sociantur.[1]) In hac enim secundum doctrinam sanam absolutio a peccatis mere externa sine renovatione interna nihil valet; sed per sanctificationem demum opus iustificationis subiectivae perficitur. Eadem ratione opus redemptionis obiectivae terminum et effectum eo assequebatur, quod Christus non solum morte sua remissionem peccatorum promeruit, sed etiam resurgendo restaurationem perfecit perfectamque manifestavit.[2]) — Quicunque igitur sola peccatorum remissione opus redemptionis coercent neque veram restaurationem conditionis humanae admittunt, ex hac doctrina diem, qua Dominus pro salute nostra passus et mortuus est, summam et augustissimam habent et celebrant; non intelligentes, quantopere per eiusmodi doctrinam et gerendi rationem universo redem-

---

[1]) S. *Thomas* hanc rem ita exposuit: „Necessarium fuit Christum resurgere ad complementum nostrae salutis: quia sicut per hoc, quod mala sustinuit, humiliatus est moriendo, ut nos liberaret a malis: ita glorificatus est resurgendo, ut nos promoveret ad bona secundum illud Roman. 4.: Traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter iustificationem nostram... Passio Christi operata est nostram salutem, proprie loquendo, quantum ad remotionem malorum; resurrectio autem, quantum ad inchoationem et exemplar bonorum.“ Summ. P. III. qu. 53. art. 1. Similiter *August.* de Trinit. L. XIII. c. 14.: „A moriente tam potente nobis mortalibus impotentibus et commendata est iustitia et promissa potentia. Horum enim duorum unum fecit moriendo, alterum resurgendo. Quid enim iustius, quam usque ad mortem crucis pro iustitia pervenire? Et quid potentius, quam resurgere a mortuis..? Et iustitia ergo prius, et potentia postea diabolum vicit. Iustitia scilicet, quia nullum peccatum habuit, et ab illo iniustissime est occisus: potentia vero, quia revixit mortuus, nunquam postea moriturus...“

[2]) „Quemadmodum igitur in illo vera mors facta est, sic in nobis vera remissio peccatorum; et quemadmodum in illo vera resurrectio, ita in nobis vera iustificatio.“ *August.* enchirid. cap. 52. — „Una resurrectio Domini secundum carnem geminam nostram resurrectionem efficit et animarum in praesenti .. et resurrectionem corporum in futuro.“ *Richard. Vict.* sermo in die Paschae.

ptionis operi culmen ac splendor adimatur.[1]) Ecclesia vero catholica, sicut iustificationem sine sanctificatione nullam habet, ita etiam in resurrectione Christi fastigium ac terminum universae redemptionis veneratur, innixa apostolicis verbis: „Si reconciliati sumus Deo per mortem Filii eius: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius", Rom. 5, 10; quibus s. Augustinus interpres accedit, haec ita explicans: „In vita salvi, quia per mortem reconciliati. Quis enim dubitet, daturum amicis vitam suam beatam, pro quibus inimicis dedit mortem suam?" [2])

---

[1]) Notatu dignum est, quantopere veritas vel falsitas quaedam principalis non modo corrolaria, quibus aut veritatis aut erroris confessio omni ex parte consummatur, sensim ex se gignat, sed etiam usque ad partes ethicae vel liturgiae maxime speciales vim suam extendat. Ita etiam Protestantes ex doctrina, quam de iustificatione mere externa profitebantur, necessario impulsi sunt, ut diem mortis Christi maioris facerent, quam festum resurrectionis, illaque recolenda anniversariam redemptionis memoriam quodammodo absolverent. In hac autem differentia, qua ecclesia catholica et confessio Evangelica, q. v., in recolendo redemptionis mysterio inter se discrepant, discrimen simul essentiale conspicitur, quod de universali dierum festorum contemplatione inter utramque versatur. Dum enim Protestantium placita dies revera festivos, i. e. laetitiae spiritualis propter dona nobis allata causam praebentes, non permittunt, sed diebusluctuosis (e. gr. Parasceves, Supplicationum q. v. etc.) locum primum assignant: intima fidei catholicae indole efficitur, ut diebus festis ecclesia de vita et integritate quum animi tum corporis originali per Christum recuperata laetetur omnibusque solemnitatibus per anni decursum evenientibus gaudium quoddam paschale impertiat; immo vero ut propter mysterium redemptionis in ss. missae sacrificio continuo celebrandum, cui hisce diebus assistere fideles iubeantur, ius acquisierit, diebus festis vitam hanc recuperatam velut in nobis iam restitutam et vegetam atque universam tristem Adami haereditatem velut destructam considerandi. „De praesenti gaudet ecclesia." Quo fit, ut ex communi hominum sensu atque usu non modo animus hisce diebus ad hilaritatem sit magis propensus; sed etiam corpus per quietem, elegantiam et refectionem ei concessam a poena laborum et ademtae facultatis natura pro arbitrio utendi (ex cuius damni propter peccata merito inflicti sensu ieiunia religiosa sanciebantur) immune videatur.

[2]) *Aug.* de Trinit. L. XIII. c. 16.

§. 9.

Itaque resurrectio Christi non solum mortis devictae, sed novae quoque vitae in quemvis nostrum traducendae pignus et documentum evadit. Magnopere tamen oportet, ut hoc loco verbum s. Pauli observemus: „Non sicut delictum, ita et donum", Rom. 5, 15;[1]) ne, analogia inter Adami Christique efficaciam ulterius, quam par sit, extenta etiam opus redemptionis physica quadam ratione hominibus singulis communicari existimemus. Facile enim posset aliquis opinari, eodem modo, quo omnes ex Adamo peccatore mortem animi simul et corporis traherent, ex Christo restauratore nos omnes velut membra generis humani, cui in Salvatore alter parens tributus sit (i. e. qua homines) resurrectionis quoque animi et corporis participes fore. Haec opinio eo magis ad fallendum instructa videtur, quum post mortis sententiam contra Adamum prolatam uni Christo deberi antea probaverimus, ut genus humanum superstes permanserit et propagetur. Attamen eo iam refutatur, quod, si res ita se haberet, eodem momento, quo existere incipimus, peccatum originale simul et mortem, nec non iustificationem et vitam renovatam consequeremur, et tali modo utriusque (Adami scilicet et Christi) efficacia eodem momento invicem se auferrent, i. e. omnino evanescerent; quod vero universali mortis experientia confestim reprobatur. Secundum indolem naturae humanae (quae non modo organismum naturalem, in quo membra ad caput referuntur, sed etiam multitudinem spirituum singulorum in se continet) nexus universi generis humani qua talis (i. e. omnium hominum, quatenus membra huius generis sunt) cum Christo distinguendus est a societate Salvatoris, quae uniuscuiusque arbitrio committitur. Prior ille nexus non voluntarius, sed necessarius et immutabilis est, quum eo iam obtineatur, quod membra simus generis humani, quod solummodo respectu et efficacia redemptionis venturae ab interitu sit ereptum. Naturae igitur humanae quicunque

---

[1]) Singula huius diversitatis capita enumerantur et exponuntur a *Dr. Maier* (exeget. Erläuterungen zum dogmat. Theile des Römerbriefs. Freib. Zeitschr. für Theol. Bd. 15. S. 56. seqq.).

participes sunt, vitam ipsam humanam, qua fruuntur, simulque, quum haec vita solius Salvatoris respectu post lapsum servata sit, inclinationem quandam in Christum, quae est vitae spiritualis reparandae conditio, a primordio Redemptori debent.[1]) Huc accedit altera res, in qua, accurate loquendo, haec conservatio, quam naturae humanae Christus procuravit, consummatur; quae igitur eadem de causa ad omnes homines necessario pertinet: carnis videlicet resurrectio. Quum enim ruina naturae nostrae a primis parentibus contracta a Redemptore non omnino annihilata sit, sed solummodo reparetur (nam, ut supra dictum est, generis propagatio et restauratio invicem a se dependent); evenit, ut animi corporisque commercium non continuo persistat, sed morte interrumpatur. Quemadmodum vero ruina naturae humanae, quae ab Adamo nobis obvenit, ad mortem denique nos adducit:[2]) ita conservatio quoque eiusdem naturae a Christo procurata in resurrectione mortuorum perficitur. Illa enim ratio, secundum quam iam ex origine velut membra generis a ruina liberati existimus, resurrectione plenam efficaciam consequitur; ita ut nativitas, mors et resurrectio in genere lapso, sed redempto eiusdem necessitatis vinculo inter se coniungantur. Unde s. Augustinus inquit: „Ex quo incipit homo vivere, ex illo utique iam mori potest. Mortuus vero . . quomodo ad resurrectionem non pertineat mortuorum, reperire non possum.“[3]) Resurrectio igitur carnis, qua talis, quaecunque illa sit sive gloriosa sive ignominiosa, cuivis generis humani membro necessario contingit ex oeconomia redemptionis, cuius virtute natura humana in integritatem restituitur.[4])

---

[1]) „Perspicuum fit, natura omnibus esse Dei notitiam *nec quemquam sine Christo nasci* et non habere in se semina sapientiae et iustitiae reliquarumque virtutum; unde multi absque fide et evangelio Christi sapienter aliqua faciunt vel sancte.“ *Hieronym.* in ep. ad Galat. c. 1.

[2]) „Mutuum debitum est inter se nativitati cum mortalitate. Forma moriendi causa nascendi est.“ *Tertullian.* de carn. Christi cap. 6.

[3]) *August.* enchirid. cap. 86.

[4]) Hisce perspicitur, quomodo componenda sit lis, quae saepius de quaestione agitabatur, utrum impiorum quoque resurrectio ex merito Christi an ex iustitiae divinae ratione eventura sit et expli-

Quemadmodum vero, — ut similitudinem iam antea usurpatam hoc loco iterum adhibeamus — rami arboris depravatae, quae propter surculum sanum ipsi inserendum conservata est, huius surculi virtutem, ad quam recipiendam destinati sunt, destinatione hac sola nondum recipiunt, nisi singuli revera eius influxui se pandant: ita etiam singuli homines, si perfectam animi corporisque vitam, qualis in exordio mundi fuerit, recuperare velint, praeter naturalem istam vitae relationem sponte se Christo coniungant necesse est. In genere enim humano velut in arbore, cuius similitudinem adhibuimus, duo succorum flumina procurrunt, in ramis singulis convenientia et inter se pugnantia, quorum alterum ex radice corrupta ascendens evolutionum seriem secutum ramos in ipsa origine veneno inficit; alterum vero ex surculo vegeto desuper imposito ad ramos inferiores descendens hisce vigorem vitalem communicat, si eum recipere velint. Dum igitur duplex illa mors ex ordine naturae generatione contrahitur, ordo salutis aliam sectatur viam indoli restauratoris Dei-hominis convenientem, sacramenta-

---

canda? (Cff. quae *Flügge,* Geschichte des Glaubens an Unsterblichkeit, Auferstehung, Gericht und Vergeltung. Leipzig 1794—1800. Bd. III. Abtheil. 2. S. 231., de dissidio inter Henr. Balduinum et Henr. Boethium de hac re exorto refert.) Quum enim natura humana, ex omni parte in integritatem originalem ut restituatur, Christo debeat; procul dubio resurrectio non modo gloriosa, sed etiam universalis ab eo procurata est; quum ab exordio neque mors neque resurrectio hominibus praeparata, sed ex Adami demum et Christi operatione profecta sit. Unde in conditione praesenti „sicut in regno mortis nemo sine Adam, ita in regno vitae nemo sine Christo.“ *Aug.* epist. 157. ad Optat. Tantumque abest, ut hoc modo improbi ex opere redemptionis calamitate poenaque rigidiore afficiantur, quantum dementiae foret, si quis maleficus morbo afflictus iniustum existimaret, quod curatione adhibita reservaretur supplicio, cuius causa nimirum non sit medicina, sed delictum; — vel si quis, quum e servitute ab amico liberatus in latrones incideret, amicum increparet, quamvis libertas per hunc procurata in se bona sit atque exoptata et modo per accidens damnum intulerit. De resurrectione res eodem modo se habet, quo etiam reliqua redemptionis beneficia, v. c. praedicatio verbi divini, oblata quidem, sed bene non adhibita, ex se lucrum, ex ipsorum hominum vero voluntate maiorem cladem multis sunt illatura.

lem videlicet, qua se praebeat recipiendam.[1]) Singulorum ideo committitur arbitrio, ut vitam naturalem, qua post ruinam naturae humanae redemptione interveniente utuntur, per Christi communionem in vitam veram et genuinam, qualis in statu originali fuerit, transforment et in ea incrementa capiant; ut postea quoque eorum resurrectio, quae per se spectata necessario ipsis obvenit, gloria et honore exornata restaurationis ex omni parte perfectae documenta edat![2]) Sicut quondam corporis salus et integritas ex commercio pendebat, quod animum inter et Deum constitutum erat, ita in reparanda quoque natura nostra, quatenus ad animi libertatem pertinet, corpus alacritatem et dexteritatem eadem ratione recuperat, qua animus voluntati divinae se conformat.[3]) Quum enim causa dissolutionis, quae regnum naturae ab animo ablienavit, principalis in animo ipso recondita sit, eodem modo, quo hic vitae in Christo restitutae compos fieri studet, originale quoque eius cum regno naturae connubium renovatur, ita ut corpus non solum animo subiiciatur, sed etiam non raro, divina largiente gratia, in vita Sanctorum praesenti primitivus paradisi status quodammodo restauretur et futurus transfigurationis habitus anticipetur.[4])

---

[1]) Cf. *Bonav.* breviloq. P. III. cap. 7.

[2]) „Cum omnis caro redempta in Christo sit, ut resurgat, et omnem assistere ante tribunal eius necesse sit, non tamen omnibus gloria et honor est promiscuus resurgendi.“ *Hilar.* in ps. 57. no. 7.

[3]) „Imperant corpori, quia famulantur Auctori.“ *Cassiod.* de anima. cap. 13.

[4]) „Istis enim, qui se coelesti conversatione mundificant,“ inquit *Aurel. Cassiodorus*, „virtus superna miseratione conceditur, quam homo propter originale vitium habere non potest. Cum creati per mundum transeuntes maiestate semper defixi sunt, quibus tamen assidue praestantur magnalia, ut paene iure desinant esse miracula ... Ademerunt nonnulli flammis incendia, vitalem calorem frigidis cadaveribus reddiderunt, leones feroces ad sepeliendum corpus convenire fecerunt... Liquorem converterunt in duritiam silicum, latices iusserunt manare de siccitate saxorum. Illaesis vestibus prunas accepimus fuisse portatas, ambulare claudum, solem praeceperunt stare celerrimum, humano verbo facta est natura diversitas.“ *Cassiod.* de anima. c. 13. — Digna sunt, quae de hac re conferantur, ab *J. H. Pabst* notata (Janusk. S. 80—90.).

Immo vero, quibuscunque in terra versantibus quoad vitam spiritualem interrogare licet: „Ubi est victoria tua, inferne?" — ii simul etiam exclamare poterunt: „Ubi est, mors, aculeus tuus?"[1]) — quamvis hi quoque, qui Christo intime iunguntur ethicaque animi corporisque concordia fruuntur, communem tamen naturae humanae sortem, i. e. mortis necessitatem evitare nequeant.[2]) E contrario enim, licet unicuique commissum sit, utrum vitae praesentis aerumnas ex Adamo in universum genus transfusas in lucrum aut detrimentum sibi vertere velit:[3]) attamen quemadmodum conditori competebat, ut naturam ad consortium cum animo ineundum elevaret, hominibus vero id solummodo mandatum erat, ut hunc concentum servarent atque excolerent, ita etiam restitutio huius commercii perfecta et indissolubilis Redemptori soli convenit, qui mortis dominatum confregit. Haec autem mortis abolitio universalis tam diu contingere nequit, quamdiu completus nondum est numerus eorum, qui ex Adamo nascuntur, ut in Christo renascantur, et hac de causa gerunt imaginem et haereditatem primi parentis, priusquam in novi parentis similitudinem transformentur.[4])

Ex iis, quae hucusque dicta sunt, intelligitur, unde vita humana ex concordia et harmonia originali in eum statum pervenerit, qui nunc iam propter oppositam, quam in se complecti-

---

[1]) Cf. *Günther,* der letzte Symboliker S. 71. — Similiter *Augustinus:* „Tunc absorpta erit mors in victoriam, cum per sanctificationem in omni parte hominis perfectam delectatione spiritualium delectatio carnalis obruetur." *August.* de divers. 83 quaestt. quaest. 70.

[2]) Cf. *Günther* l. c. S. 147.

[3]) „Es hängt von dem Willen jedes Einzelnen ab, und von der Wahl, die er zwischen dem alten und neuen Adam getroffen und geltend gemacht: ob eine und dieselbe Scala von Uebeln der Ursünde für ihn eine Jakobs- oder Belialsleiter werden solle." *Günther* l. c. S. 70. f.

[4]) „Es kann Christus seinen Sieg über jenen Feind (den Tod) desshalb noch nicht für die Menschheit geltend machen, weil es sich noch um die Fortsetzung ihrer Geschichte handelt, die nur durch die Fortsetzung des alten Adams einerseits, so wie anderseits durch die Fortsetzung des neuen Adams in dem Geschlechte denkbar ist. Wo sich jener aber in der Zeugung, da setzt er sich auch als Tod fort." *Günther* l. c. S. 71. Cf. *Apocal.* 6, 11.

tur, Adami et Christi efficaciam *quum ruinae tum reparationis documenta* edit.[1]) — Perspecta autem indole vitae humanae, quum eius, quae initio secundum ideam divinam ordinata fuerit, tum, qualis in praesenti ex Adami et Christi dominatu dirigatur, restat, ut mortis quoque et resurrectionis, quarum radices iam cognovimus, vim et characterem accuratius describamus.

§. 10.

Eventum eximii momenti ab omnibus continuo aestimatam fuisse mortem, non est quod mirum videri possit attendentibus, nec quemquam a se obtinere posse, ut aliquid saltem ponderis, qualecunque illud sit, vitae suae praesenti attribuat. Ex hoc autem consensu magna confestim exsurgit opinionum vel potius sententiarum diversitas, si de ratione iam agitur, quam sibi quisque de mortis natura effinxerit. Dum enim alii horrore et formidine mortis se perturbari libenter profitentur, permulti sunt ex adversa parte, qui finem vitae praesentis laudibus et elogiis exornent, quum celsitudinem quandam menti nostrae convenientem in moriendo conspiciendam esse affirment, illosque, qui huius timore crucientur, nonnisi rationibus minoris momenti impulsos esse arbitrentur. Attamen hanc rem accuratius inspicientibus patebit, quod contraria haec iudicia de mortis indole prolata sententiarum potius, quam persuasionum diversitatem merito appellaverimus. Revera enim, quicunque mortis laudatores et apologetas sese constituebant, hoc stimulo incitabantur, ut eiusmodi elogiis et effatis auxilium sibi pararent, quo molliretur et quasi abstergeretur, quidquid res ipsa haberet duri atque molesti. Neque eo veritatem sequuntur, ut ex rationibus secundariis pro vario hominum statu diversis metum mortis originem ducere nobis persuadere velint. Communis nimirum omnibus inest horror sepulchri, ita ut neque aetas neque vitae oonditio neque ipsa animi compositio bona vel

---

[1]) Quomodo ex utraque hac efficacia praesens generis humani conditio componatur et dirigatur, uberius exponitur a *Dr. Staudenmaier* (Encyklopädie Thl. I. S. 828. 829. 2. Aufl.).

prava hac in re differentiam efficiat essentialem. Huius autem pavoris, quem iam antiqui *παντων πρεσβυτατον των φοβων* appellabant, causa principalis explicari nequit nisi ex intima mortis ipsius natura; neutiquam vero ex causis accidentalibus, quum rationes in quibusdam modo hominibus occurrentes ad rem omnibus communem explicandam non sufficiant. Quaecunque scilicet de propinquis amicisque relinquendis, de gaudiorum vitae iactura, de poenarum subeundarum formidine multisque aliis rebus, quae huiusmodi sunt, disseruntur, e quibus tremor funeris derivetur, fundamentum eius non attingunt, sed maiorem tantummodo vel minorem huius timoris in hominibus singulis gradum exponere valent. Nam neque infantes, qui amicorum consortio vel culparum conscientia nondum fruebantur, neque senes cladibus, laboribus atque aegritudine fracti mortem libenter amplectuntur. Si quis vero, poëtarum nonnullorum dicta secutus, huius horroris causam eo deducere velit, quod nemo, neque iuvenis neque senex dulcem illam vitae consuetudinem praefracte abrumpi libenter sinat, ad veritatem iam propius accessit; neque ab eo dissentimus, dummodo haec ratio non quasi a superficie, sed ex interiore vitae humanae indole desumatur. Horror enim universalis, quo cuncti a mortuis sepulchrisque avertuntur suamque ipsorum mortem reformidant, unde, quaeso, exoritur, nisi eo, quod ipsa natura nostra a morte abhorreat velut ab evento, quo sibi accidere non possit quidquam magis adversarium? In moriendo igitur quaedam naturae nostrae offensio et depravatio insit necesse est; quae revelatione divina edoctis eo conspicitur, quod vita humana, ad perpetuum animi corporisque consortium ex voluntate creatoris destinata, hominis ipsius ab hac voluntate recedentis culpa dissolvatur. Quare secundum fidem christianam neutiquam evolutionem naturae nostrae convenientem, sed destructionem potius ei adversantem in morte cernamus oportet; in qua tantum absit, ut ex ordine divinitus sancito procedat, ut e contrario eo originem trahat, quod homo ipse, inverso ordine, naturae dominio se mancipaverit.

Huic sententiae quantopere vox naturae ipsius suffragetur, ex universali tremore per mortem incusso sponte patet. Haec vox evidentissime apud gentes erumpit, quibus ob ingenii in-

firmitatem facultas ademta est, hanc naturae vocem reprimendi. Incultas enim et barbaras gentes qui visitabant, de ulla re eas in tantum stuporem non abripi referunt, quanto ex obitu alicuius afficiantur, cuius causam unde deducant, plane nesciant.[1]) Verumtamen apud eos quoque populos, qui ad celsiorem literarum florem pervenerunt, idem sepulchri horror reperitur. Quamvis in gentibus hisce antiquis non raro occurrat eximium quoddam vitae taedium, ita ut mortem pro insigni deorum munere habuerint;[2]) eiusmodi tamen opiniones ex rationibus prodierunt, quae non vitam qua talem, sed potius praesentem eius conditionem miseram, cuius remedium ignorabatur, respiciebant.[3]) Neque solum in Graecis hilariore mente praeditis timor mortis tantum valebat, ut ipsam *Θανατου* literam primam invisam iis fuisse noverimus: sed etiam, quibus indoles severior atque tristior de praesenti rerum conditione sensus obtigit, hi quoque, nisi ad opiniones de mole corporis abiicienda etc. confugiebant, in morte eventum saltem conspiciebant, quod naturae nostrae fragilitatem et humilitatem manifestaret;[4]) vel magno eorum numero aggregabantur, qui in moriendo ultimum malorum cernebant. Qui vero talem philosophandi methodum ingressi sunt, qua universum mortis eventum quodammodo transfiguraretur, nihilosecius se gerendi ratione a doctrina, quam propugnabant, vulgo summopere discrepabant. Nam mortis terrores negare quidem facillimum, dissipare vero difficillimum est solique Christo concessum; neque atra istius imago tantopere potest illustrari, ut color originalis omnino exstingua-

---

[1]) Cf. *Staudenmaier*, Encyklopädie. S. 244—245.

[2]) Pervulgata est, quae de Cleobi ac Bitone narratur fabula. Cf. *Cicer.* Tuscul. L. I. c. 47.

[3]) Cff. verba s. *Augustini* de doctr. christ. L. I. c. 24. supra recitata. — Antisthenes philosophus, cui graviter aegrotanti atque, ut doloribus liberaretur, cupienti Diogenes sicam porrigebat, respondit: „Doloribus, dixi, non vita.“ *Diogen. Laert.* VI. no. 10.

[4]) V. c. Seneca ex mortis consideratione humilitatem commendabat (epist. 25.); necnon profiteri non dubitabat: „Una est catena, quae nos alligatos tenet, amor vitae.“ *Senec.* epist. 26.

tur.[1]) De hac re potius recte sensit semelque vere locutus est princeps mendaciorum infernus in libro Hiob, omnes prius calamitates ab hominibus subiri asserens, dummodo vitam sibi salvent.[2]) Nec quemquam, qui animo sincero sanisque oculis instructus summam virium contentionem, qua natura nostra mortem imminentem repellere studeat, dirumque agonem, quo moribundi vexentur, observare velit, adduci posse existimamus, ut morte qua tali velut a fido amico alliciatur. Dilucide nimirum ex hac obeunda, qua universa naturae nostrae destinatio subito irrita reddi videtur, corruptionis ac depravationis status colligitur; unde non solum Judaei cum mortuis communicantes immunditiam incurrebant, sed ipse quoque Salvator ad Lazari monumentum appropinquans „infremuit spiritu et turbavit se ipsum.“ [3]) Corpus enim nostrum, quamvis multae perturbationes ex eo nobis in praesenti obveniant, eminentiore quadam dignitate pollere, ne rudes quidem ignorant vel infitiantur; qui vero intimum eius cum animo commercium exactius investigaverint, in perpetuam vitae societatem utrumque fuisse copulatum affirmabunt. Vix, inquam, cuiquam persuaderetur crediderim, contingere posse, ut animus a corpore separaretur, nisi experientia quotidiana de contrario nos edoceret. Quae de gentibus incultis obitu propinquorum obstupefactis modo narravimus, suffragantur huic opinioni; dum altera ex parte obnubilata apud antiquos de animi immortalitate fides magnopere eo profecta esse videtur, quod animi corporisque communionem tanti habuerint, ut, conscientia diversitatis utriusque in dies magis praetermissa, animus cum corpore simul interire iis videretur.

Corpus nostrum iam in se spectatum totius naturae caput et decus esse convincitur, ab huius dominio et impulsu maxime liberatum neque retro ad eam respiciens, sed sursum in

---

[1]) De Epicuro Cicero memoriae tradidit: „Nec quemquam vidi, qui magis ea, quae timenda esse negaret, timeret, mortem dico et deos.“ De finib. II. c. 30.

[2]) Hiob 2, 4.

[3]) *Ἐνεβριμησατο τῳ πνευματι και ἐταραξεν ἑαυτον.* Joh. 11, 33. Cf. v. 38.

coelum oculos convertens. Quodsi autem animal morte obrutum nauseam multo vehementiorem nobis excitat, quam planta putrefacta, quia in isto sublimius vitae genus interiisse animadvertimus: multo plus perversitatis profecto corporis humani ruina in se recondit, quod, sicut omnino super vulgarem naturae sortem elevatum animi privilegiis utitur, ad immortalitatis consortium quoque destinatum merito creditur.[1]) Egregia deinde totius mundi concordia, quae hominibus creatis ex universo rerum ordine profulgebat, nunc iam mortis dominatu velut lugubri dissonantia interrumpitur, quum non modo animus imperio suo privetur, sed etiam regnum naturae, valido propriae infirmitatis supplemento, cuius commercio vitae perennis compos fiat, orbatum, vanitati et perditioni subiiciatur! Omnino specialem naturae humanae habitum rite aestimantes non possumus, quin mortem huic non convenientem sed repugnantem declaremus.[2])

Inspicientibus animi corporisque commercium innatus mortis terror nobis sponte explicatur; hic vero altera ex parte valido argumento fulcit fidem christianam, qua originalem utriusque partis naturae nostrae concordiam peccando solutam esse edocemur.[3]) Hanc autem doctrinam christianam de mortis perver-

---

[1]) „Hoc quidem certum stat," inquit *E. Lasaulx*, „omnem naturam si cum morte colluctatur, ingenti horrore perfundi, qui nulla potest mentis consideratione penitus exstingui, neque etiam illa, qua omnes sciunt communem esse omnium mortis necessitatem. Nam ex eiusdem intima naturae lege vita naturaliter perhorrescit mortem, idque tanto fortius, quanto ipsa est fortior atque integrior; nam qui fortis est atque invictus adhuc heros, acerbius quoque sentit, si a dira necessitatis lege humi proiicitur." De Mortis domin. in Veteres. pag. 29. — Cf. *Greg. M.* Moral. L. IV. c. 30.

[2]) „Sehr treffend bezeichnet unsere Sprache das gegenwärtige Vergehen mit dem Namen Verwesen, gleichsam als ein Aufhören gegen das Wesen dessen, was da vergeht, gleichsam als eine naturwidrige Erscheinung." *Günther,* Vorschule II. S. 101.

[3]) „Qui autem primordia hominis novimus," inquit *Tertullianus*, „audenter determinamus, mortem non ex natura secutam hominum, sed ex culpa ne ipsa quidem naturali. Facile autem usurpari naturae nomen in ea, quae videntur a nativitate ex accidentia adhaesisse. Nam si homo in mortem directo institutus fuisset, tunc demum mors

sitate eo firmiorem retineamus necesse est, quo magis haec persuasio plerumque debilitatur. Sententia autem de morte velut evento omnino naturali et ordinario tam saepe prolata unde sit exorta, sponte patet. Haec nimirum eo processit, quod non solum experientia quotidiana res omnes vilescant, sed praecipue, quoniam animus a Deo alienus mensuram simul amiserit, qua rerum creatarum conditionem et ordinem recte metiatur; atque pari ratione, qua morti spirituali se tradiderit, etiam vegeta mundi contemplatione privetur.[1]) Et, quemadmodum generatim fontes adversitatum undique repetuntur, eo solum praetermisso, unde revera larga omnis perversitatis copia primitus scaturiebat, ipsa videlicet mente corrupta: ita etiam a primordio magnam adhibitam esse industriam, ut triste mortis eventum non ex hominum, sed potius ex ipsius naturae defectu derivarent, non est, de quo miremur. Immo vero perturbato a peccatis universo naturae humanae statu sublataque recte iudicandi facultate facile contingebat, ut mors ex mortalium opinione vultum etiam splendidum adipisceretur.

---

naturae adscriberetur... Non erit natura, quod ex oblationis potestate accidit per voluntatem, non ex instituti auctoritate per necessitatem. Proinde, etsi varii exitus mortis, ut est multimoda conditio causarum, nullum ita dicimus lenem, ut non vi agatur. Ipsa illa operatrix mortis, simplex licet, vis est. Quid enim? quae tantam animae et carnis societatem, tantam a conceptu concretionem sororum substantiarum divellit ac dirimit.“ *Tertull.* de anima c. 52.

[1]) Hoc modo factum est, ut conditori rerum personali materia vel potentia sola, divinae providentiae fatum vel Deismus rigidus substitueretur; denique ulla vitae species sine labe vel morte non cogitaretur.

Merito inquit *F. Schlegel:* „Wohl möchte ich eine andere Art von angeborener Idee im Menschen, wie er jetzt ist, und wie ich glaube, nicht ohne Grund annehmen, und zwar nur diese Eine: nämlich die angeborne Idee des Todes, welche als eine falsche Lebenswurzel und wahrhaft geistiges Contagium das todte Denken hervorbringt, und alle todten und todtgebornen Begriffe erzeugt. Diesen der Seele eingeimpften oder angeerbten Todesbegriff überträgt nun der menschliche Geist, als den ihm eigenthümlichen Grundirrthum, auf Alles um sich her, wo ihm dann auch die ihn umgebende Welt

Duas erroris species atque series in hac re distinguere licet, quarum altera ex Materialismo, altera vero ex Pseudospiritualismo originem trahit, utraque autem genuinam mortis faciem exstinguit.[1]) Salva nimirum persistere haec non amplius potuit, simulac homines in servitium naturae se tradentes cum conscientia libertatis innatae etiam animi super inferiora eminentis conscientiam perdiderunt. Haec autem sensualitatis, q. v., dominatio, etiamsi quoad mores refrenata sit, quoad intellectum tamen perdifficulter discedit. Quo factum est, ut non modo sensus communis depravatus, sed etiam permulti, qui super vulgus se extollentes philosophiae operam navabant, hominem animal quoddam a feris cultu solo distinctum existimarent, specialem rationis et libertatis humanae fontem a regno naturae segregatum non cognoscentes. Unde legibus, quibus natura externa dirigitur, ad nostram quoque conditionem translatis facile inducebantur ad effatum, quod Eccl. 3, 19. de perversae huius sapientiae praeconibus memoriae tradidit: „Unus interitus est hominis et iumentorum et aequa utriusque conditio." Excellentia atque immortalitate animi obnubilata necnon saepius

---

und die ganze Natur in seinem todten Denken als eine solche todte und starre Masse erscheint, so lange sein Geist noch unter diesen innern Schatten des geistigen Todes sitzend, sich nicht hinreichend zum Lichte aus seinem Gefängniss herausgearbeitet hat; während er, was wirklich und wahrhaft todt ist, in ihm selbst und in seinem Innern fast ohne höhere Hülfe gar nicht und mit dieser nur sehr spät und langsam als das, was es ist, als etwas nichtiges und todtes nämlich, erkennt und erkennen lernt." *F. Schlegel*, Philosophie des Lebens. S. 107—108. — Similiter *Lasaulx*, l. c. pag. 29. 30.: „Vitam enim iam in radicibus adesam esse oportet atque corruptam, ubi sine querimonia caedi patitur mortis gladio; animus priusquam omnem perdiderit nativum vigorem, mutum non se dabit in ditionem inevitabilis Fati. Nec verbis exprimi potest, quam horrenda sit ruina vitae, quae Mortis serva talem agnoscit dominam, immo vero oneris infelicis liberatricem."

[1]) Haud raro utraque erroris species in eodem systemate concurrit. Recens philosophia v. c. hominem evolutionem modo summam naturae existimat huiusque legibus ideo merito subiectum; pseudospiritualem tamen opinionem de corpore velut perfectionis impedimento abiiciendo simul sectatur.

consulto reiecta[1]), quum status hominum universus legibus naturae obstrictus videretur, eventum lugubre quidem, non vero stupendum in morte conspiciebant.

Quibus vero conscientia animi a corpore distincti excitata erat, hi plerumque in sententiam omnino contrariam abierunt, animum solum tantopere respicientes, ut corpus non in communem vitae usum illi unitum, sed velut impedimentum vel carcerem ei superadditum esse existimarent. Qui enim animi potestatem a corpore limitibus circumscriptam multisque modis in praesenti rerum conditione impeditam sentiebant, facile impellebantur, ut originem universae depravationis, quae in natura humana reperitur, materiae qua tali tribuerent atque a corporis consortio liberatum esse longe optimum iudicarent. Ex hac igitur cogitandi ratione animus eorum, qui fatis cedebant, e carcere, in quo retentus esset, egredi et abiecto fragili velamento vera vita demum potiri videbatur.[2]) Eiusmodi autem opiniones, quamvis etiam a viris erectioris ingenii non raro propositae sint, plurimum tamen perversitatis atque periculi in se recondunt. Quid enim? si corpus nostrum ad essentiam naturae nostrae non pertinet, sed perfectionem huius maximopere impedit et retardat, quid, quaeso, obstat, quo minus societate eius molesta quam primum liberari studeamus, vel etiam uno ictu eam omnino dirumpamus? Nonne omnem quoque perversitatis humanae causam ex animo in corpus delegare, hoc autem flagitiis defoedare tandemque, si placet, abiicere licebit, quum animus hisce non affectus omneque scelus cum corpore simul deponendum credatur? Neque desunt permulta historiae testimonia, quibus hanc opinionem multiformes fructus perniciosos, quibus sanus rerum ordo impugnaba-

---

[1]) Exstiterunt enim permulti, qui praecipuum mortis metum ex inferni formidine exortum arbitrati, hunc eo reprimere data opera studebant, ut animum post mortem fore nullum affirmarent.

[2]) Huc pertinent, quae apud antiquos de corpore velut vestimento, carcere, ergastulo, et quae eiusmodi sunt loquendi formulae, reperiuntur. Nota est, quae a Platone constituebatur affinitas et vocalis et realis inter *σῶμα* et *σῆμα*.

tur, nullo tempore non tulisse probatur.[1]) Etenim non modo inter gentiles complures exstiterunt huius doctrinae asseclae et defensores; sed etiam postea reperiebantur plurimi, qui illam ab iis, quos Tertullianus haereticorum patriarchas appellabat,[2]) a philosophis antiquis scilicet, receptam ad Christianos transferebant. Dum prior ista opinio de morte velut evento prorsus naturali ab antiquis prolata in Pelagianis et Socinianis nostraque aetate in iis refloruit, qui Rationalismum vulgarem fovent: posterior haec assertio ex fontibus Orientis hausta inter Christianos formam Gnosticismi induebat, qui a priscis haereticis hoc nomine diffamatis ad sectas medii aevi transfusus saeculo decimo sexto in doctrina Lutheri denuo prodiit. Hic enim summo praesentis vitae taedio perculsus, quum ipsam naturae essentiam peccato funditus corruptam esse statuisset, sponte eo deductus est, ut in morte sola remedium peccati exstinguendi et conditionis nostrae restaurandae conspiceret. Unde disertis verbis morti eam vim tribuebat, ut omnem destrueret iniquitatem.[3]) Denique philosophia recens hanc sententiam

---

[1]) Qui saecul. 2. et seqq. apologias fidei christianae ediderunt, multa afferebant testimonia, quibus evincitur, quantam vim habuerint eiusmodi opiniones ad violandas leges quum morales tum civiles. Cff. *Theophil.* ad Autolyc. L. III. no. 6. *Lactant.* institt. div. L. III. cap. 19. Quam parvi ab antiquis aestimatum fuerit, ut, si liberet, vitam sibi adimerent, ex ingenti numero caedium huius generis in viris celeberrimis occurentium colligitur. Cf. *Lasaulx,* de Mortis dominatu, pag. 42.

[2]) Cf. *Tertull.* adv. Hermogen. c. 8. de praescript. cap. 7. de anima cap. 23. De praescr. c. 7. hic auctor singulas haereticorum doctrinas ab antiquis philosophis desumptas enumerat; et deinde de resurrectione annotat: „Ut carnis restitutio negetur, de una omnium philosophorum schola sumitur."

[3]) „Der Tod ist ein heilsames Ding allen denen, die an Christus glauben; denn er thut nichts anders, denn verweset und zerpulvert Alles, was aus Adam geboren ist." Luther's Auslegung des 4. Busspsalms Vers. 4. — „Das sterben und ersauffen der Sünde geschiehet nicht eher vollkommen, als bis der Mensch auch leiblich sterbe und zu Pulver verwese. Die Sünde höret nicht ganz auf, dieweil dieser Leib lebet, der so gantz in Sünden empfangen, dass Sünde seine Natur ist. Es ist wohl wahr, ein Mensch, so er aus der Taufe kömpt, ist rein, ganz unschuldig, ohne Sünde. Die verstehen es

cumulo quodammodo auxit formamque speculativam et scientificam ei conciliavit. Ex hoc systemate enim perversitas illa, quae cuivis ab origine innata secundum Lutheri placita etiam in iustificatis, quamdiu vivunt, perseverat, est ipsa existentia individua et finita, quae, etsi educatione quidem et cultu per vitae decursum aliquatenus atteratur, nequaquam vero plane destruitur. Morte purgationis huius perfectae tandem compotes et participes fimus; per quam una cum corpore homo vetus, i. e. quidquid singularitatis et defectuum unusquisque gerebat, ultro deponitur. Redeuntes hoc modo in vitam universalem, ex qua in vitam particularem egressi eramus, ad ordinem rectum revertimur — secundum doctrinam ullius mali vel damni sub sole nesciam praeter existentiam individuam.

Haec tamen mortis consideratio, quamvis, sagacitate insigni excogitata, mentis generositatem quandam alere vitaeque contemptum inspirare videatur, in quam tristem conditionem sortem humanam deiiciat, facile elucet. Eiusmodi enim vita moribundis post obitum exspectanda futilis somnii statum vix excedit; — quantamque operam ii praesertim adhibuerint, qui dextram q. v. partem scholae Hegelianae constituunt, ut immortalitatem personalem salvam conservent, hi tamen cordis potius, quam systematis sui postulationibus indulgent.[1]) Quomodo autem haec philosophorum placita ethicae quoque universae pestis et corruptela evadant, supra iam indicavimus. Huic quam maximis possunt viribus se opponant necesse est, quicunque virtutis culpaeque conscientiam nondum omnino abiecerunt. Immo vero ipsi saeculi decimi sexti novarum rerum

aber nicht recht, die meynen, es sey gar keine Sünde mehr da; denn man soll wissen, dass unser Leib, dieweil er hie lebet, natürlich böse und sündhafft ist. Gott hat nun einen Rath erdacht, es gantz neu anders zu schaffen; aber es gelinget ihm beim ersten Male (bei der Taufe) nicht gantz; da macht er es wie ein Töpfer, dem ein Topf missrathen, er zerstosst den Topf, knetet ihn mit dem gantzen Haufen und bildet einen neuen Topf; so auch da wir in der ersten Bildung (Taufe) nicht gantz gerathen und ohne Sünde sind.“ *Luther's* Sermon von der Taufe. Vide: *Riffel,* Kirchengeschichte der neuesten Zeit. I. Bd. S. 14. 1. Aufl.

[1]) Cf. *Staudenmaier,* Darstellung und Kritik des Hegel'schen Systems. S. 836.

auctores, qui eo, quem ex ecclesia avita secum tulerant, religionis christianae apparatu a Pantheismo perfecto coercebantur, obstupescerent, si abominationem hanc et desolationem animadverterent. Sancti vero Evangelii praecones et rerum sacrarum scriptores indignatione moverentur, si intuerentur, quanta industria haec falsa sapientia ipsorum effata et scripta in usum suum convertere ipsosque tanquam huius doctrinae praecursores constituere studeret![1]) Quod autem ad sententiam de natura mortis ab hisce philosophis prolatam specialiter attinet, neminem fugit, quod secundum regulam generalem progrediendi et inferiores formationes a se reiiciendi, quam substantiae unicae, quam admittunt, attribuunt, etiam in funere talis depositio sordium inferiori vitae generi adhaerentium et in obitu qua tali transfiguratio quaedam honorifica naturae humanae iis cernenda sit.

Hoc loco admonemur, ut earum quoque opinionum aliquam saltem mentionem faciamus, quae, licet a tali systemate alienae, morti tamen in se spectatae vultum splendidiorem, quam par est, reconciliare eiusque violentiam mitigare videntur. Praeter assertionem illam antiquam de animis nostris propter peccata aevo priore commissa in corpus velut in ergastulum detrusis, ex quo decedendo liberemur, ab Origine eiusque discipulis propositam, ii praecipue huc pertinent, qui Spiritualismo nimis indulgentes arbitrantur, fore, ut morte eveniente animus ex corpore crassiore, quod relinquamus, corpus quoddam sublimius atque aethereum, quamvis subtilissimum, depromat et secum ducat. Diversis permoti rationibus ad eiusmodi opinionem pervenerunt. Etenim praeter utilitatem, quam haec hypothesis in explicanda resurrectione afferre videbatur, alteri eam amplectebantur, quia omnino de corpore praesenti humilius sentiebant, alteri vero, quia totius naturae analogiam

---

[1]) Magnopere vita Jesu Christi, quae velut fastigium sanctitatis et perfectionis in se comprehendens in Evangeliis describitur, sententiae horum philosophorum adversatur, qui existentiam individuam qua talem defectibus obnoxiam constituebant. Unde necessario impellebantur, ut eam perfectionis plenitudinem, quae in s. codice concretae Christi personae tribuitur, a persona individua ad naturam humanam generatim transferrent.

offendi putabant, si animus corpori, cuius adminiculo in vivendo et operando utebatur, intime olim coniunctus, subito id desereret eoque destitutus vitam solitariam ageret.[1] De resurrectione carnis disserentibus hanc opinionem uberius recensendi occasio obveniet; unde hoc loco id modo notamus, quantopere vis mortis genuina ea debilitetur. Quid enim amaritudinis in hac iis restare poterit, qui externum modo et crassum involucrum ea exuendum, corpus vero genuinum et sublimius appariturum esse affirmant? Anomalia, quae in morte ceu animi corporisque separatione conspicitur, neutiquam ius concedit, ut ad eam tollendam ad hypothesin confugiamus ipsius naturae voce impugnatam. Nam si homo totus in moriendo salvus persisteret,

> „non tam se moriens dissolvi conquereretur, sed
> „magis ire foras vestemque relinquere ut anguis
> „gauderet.“[2]

Eo potius mentis aciem convertamus necesse est, ut mortem ex perversitate multo maiore, ex peccato videlicet, merito prodiisse intelligamus; neutiquam vero, ut irregularitatem et perversitatem, qua in ea offendimur, fictis opinionibus dissipemus. Vinculo, quo homines cum Deo coniungebantur, disrupto, in propriam ipsorum naturam solutio animi et corporis intravit, ut supra ostendimus.

In morte igitur inprimis cernenda est iusta poena inflicta creaturae, quae ordinem divinum transgressa et recedens a suprema vitae suae norma dignam se reddiderit, cuius existentia auferatur.[3] —

In quavis autem poena inest aliquid, quod eos, qui eam perpetiuntur, nobis reconciliet, ita ut, poenitentia persoluta, in statum pristinum redacti videantur. Unde ex omnium sententia decoris oblivisceretur, quicunque alterum propter delicta antea commissa, quorum tamen poenam subivit, postea increparet. Sensus igitur doloris, quem poena secum fert, subeuntibus

---

[1]) Cf. *Flügge,* l. c. Bd. III. Abth. 2. S. 379.

[2]) *Lucret.* de nat. rer. Lib. III. cf. *Lactant.* institt. div. L. VII. c. 12.

[3]) Cff. *Pabst,* der Mensch und seine Geschichte. S. 152—154. *Bossuet* l. c. Tom. I. p. 288—291.

ex ratione hac propitiatoria paululum saltem mitescit. Similiter etiam de morte res sese habet; quae, licet naturae nostrae adversetur, hac ratione vultum pacificum et indolem expiatoriam aliquatenus adipiscitur. Vita enim non conveniens naturae ac dignitati humanae poenam iustam eo recipere videtur, ut qua talis destruatur, et hoc modo efficiatur, ut status eius perversus normae primitivae non amplius contradicat. Quare non modo unusquisque, defectuum et vitiorum, quibus terrena eius conversatio maculabatur, poenam quodammodo, quatenus haec ad nos spectat, e vivis decedendo perpessus, in gratiam a nobis recipitur[1]) et eo privilegio utitur, quod indicatur trito proverbio: „De mortuis non nisi bene!“ — sed etiam quoad perversitatem communem et universalem, qua genus humanum ab origine infectum est (quamvis sola reconciliandi vis morti competat Salvatoris), morte ab omnibus obeunda debitum et contradictio contra voluntatem divinam a natura nostra contracta ratione quadam secundaria solvitur.[2])

Haec autem attendere qui volunt, insuper vis etiam medicinalis morti assignanda sponte perspicitur. Eo enim sapientia divina in magnam nos rapit admirationem, quod destruendo restauret et verberando sanet. Sicuti praeceptum humi sterilis labore colendae Adamo impositum inprimis quidem inobedientiam Deo exhibitam in homines ipsos convertebat, simul vero etiam occasionem e vinculis naturae praevalentis se liberandi ministrabat: ita mortis quoque sententia cum vindicta medicinam simul porrigebat. Perversum namque imperium, quod, hominibus lapsis, parti inferiori contigerat, quae non modo animum sibi subiugaverat, sed etiam hac ratione suum ipsius locum normalem deseruerat, funere conteritur. Corpus, quale nunc est animo inobediens atque abalienatum, destruitur, ut modo, qui magis conveniat naturae humanae, aliquando restituatur.[3]) Perditio deinde universalis morte velut aggere co-

---

[1]) Familiare nobis est effari, morte omnia reconciliari.

[2]) Cf. *Staudenmaier*, Encyklopädie. Thl. I. S. 824—826.

[3]) *Theophil.* ad Autolyc. L. II. no. 26: *Καθαπερ σκευος τι, ἐπαν γλεασθεν αἶτιαν τινα σχῃ, ἀναχωνευεται ἢ ἀναπλασσεται εἰς το πνεσθαι καινον και ὁλοκληρον· οὑτω γινεται και τῳ ἀνθρωπῳ δια*

hibetur, quum conditionem nostram fragilem et brevi aevo finiendam vires deficiant ampliores et continua quadam pervicacia in studiis pravis consumendae. Singulis denique hominibus cursu consummato in morte refrigerium paratur, quo post certamina in terris aestuantia fruantur. Haec secum reputando s. Cyprianus timorem mortis undique imminentis a fidelibus removere in opusculo „de mortalitate“ conscripto studebat. Eadem consideratione ductus Cassiodorus haec habet: „Mors est animae corporisque facta resolutio, vitae huius absentia, carnis desideria vel necessitates prorsus ignorans . .;“ et a somno, sustentatis diei laboribus iucundissimo, imaginem promens addit: „Hanc mortem in ista (praesenti) vita paene quietus somnus imitatur, quando saeculi istius desideria ambitumque deponit.“[1]) Hoc vero mortis beneficium iis modo contingere, qui gratiae Salvatoris participes sese effecerint, [2]) ultro liquet. Secundum religionem christianam nimirum, quae requiem et laetitiam sempiternam in domo Patris reconciliati redemptis largiendam promittit, post mortem non solum aerumnarum vitae praesentis finis, sed etiam caelorum, quos Christus reseravit, aditus nos exspectat; animusque ex hac lacrimarum valle, malis referta, tentationibus agitata ad patriam coelestem suspirans diem huius aevi supremum vitae aeternae

---

θανατου. δυναμει γαρ τεθραυσται, ἱνα ἐν τῃ ἀναστασει ὑγιης εὑρεθῃ· λεγω δε ἀσπιλος και δικαιος και ἀθανατος. Similitudinem a figulo desumptam hoc loco a s. Theophilo ratione plane diversa usurpari, quam a Luthero in loco supra recitato, patet. — *August.* de Genes. ad liter. L. XII. c. 35.: „Si tale sit corpus, cuius sit difficilis et gravis administratio, sicut haec caro, quae corrumpitur et aggravat animam, de propagine transgressionis existens, multo magis avertitur mens ab illa visione summi coeli: unde necessario abripienda erat ab eiusdem carnis sensibus, ut ei, quomodo capere posset illud, ostenderetur. Proinde cum hoc corpus iam non animale, sed per futuram commutationem spiritale receperit angelis coaequata: perfectum habebit naturae suae modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriae, quod sarcinae fuit.“

[1]) *Cassiod.* de anima. cap. 14.

[2]) Huc spectat notum s. *Augustini* effatum: „Mala mors aestimanda non est, quam bona vita praecessit.“

natalem[1]) existimat, qua ad auctorem suum redeat, cuius contemplatione defectum vitae propriae suppleat, cuius potestate etiam corporis restitutionem obtineat. De hac re idem Cassiodorus luculenter ita disseruit: „Per Te, admirande Domine, poena facta est aeterna requies, passio remediabilis, mors fidelium salutis introitus. Haec enim perpetue dat vivere, quae solebat exstinguere, non iniuria, quoniam quae vitam omnium suscepit, merito ius peremptionis amisit. Data in dedecore manet in honore. Quondam res quae pandebat inferos, nunc perducit ad coelos. Vere omnipotens es, qui et ipsas miserias fecisti potentes . . . Convertis in adiutorium, quod paratum est ad nocendum, potentius esse diiudicans, laesiones ad utilitatem convertere, quam causas malorum radicitus amputare.“ [2])

Huic autem „bono mortis“,[3]) quod ad eius *effectum* potissimum pertinet, altera accedit ratio, qua per religionem christianum *mors ipsa* faciem generosam eo consequitur, ut secundum proverbium vulgare egregio quodam modo „necessitas in virtutem convertatur.“ Nam mors, quae in se spectata diri instar atque inevitabilis fati generi nostro incumbit, a Salvatore, ut gloriam Patris et redemptionem nostram procuraret, sponte suscepta est. „Quidquid autem gestum est in cruce Christi, in sepultura, in resurrectione tertio die, in ascensione ad coelum, in sede ad dexteram Patris, ita gestum est“, inquit s. Augustinus, „ut his rebus non mystice tantum dictis, sed etiam factis configuraretur vita christiana, quae hic geritur.“ [4])

Hic vero decursus vitae Redemptoris non solum per tropum (quod idem s. doctor ex locis: Galat. 5, 24. Roman. 6, 4. Coloss. 3, 1 seqq. confestim eruit), sed etiam proxime et revera imitandus nobis exhibetur. Christo autem sponte mortuo

---

[1]) Cf. epist. eccl. Smyrn. de mart. s. Polyc. 18. *Aug.* de civit. Dei L. XIII. c. 4.: „Tantam Deus fidei praestitit gratiam, ut mors, quam vitae constat esse contrariam, instrumentum fieret, per quod transiretur ad vitam.“

[2]) *Cassiod.* de anima c. 17. Cf. *August.* meditt. cap. 20—22.

[3]) S. *Ambrosius* librum hoc titulo insignitum conscripsit.

[4]) *Augustini* enchirid. cap. 53.

ii inprimis conformantur, qui „mortem, quam dignatus est pro nobis pati, reddiderunt Salvatori",[1]) sancti videlicet Martyres, qui etiam „sepulchrum gloriosum", fidelium conventu frequentatum cum Christo assecuti sunt. Ita, „quamvis ipsa mors carnis de peccato primi hominis originaliter venerit, tamen bonus eius usus gloriosissimos martyres fecit."[2]) Attamen reliquis quoque Christianis conceditur, ut ex Salvatoris exemplo non solum, dum vivant, operationes suas et facultates, sed etiam obeundo vitam ipsam Deo offerant talique ratione sacrificio, quod Deo debent, fastigium imponant.[3]) Merito enim s. Gregorius Magnus animadvertebat: „Fortasse laboriosum non est homini relinquere sua; sed valde laboriosum est relinquere semet ipsum. Minus quippe est abnegare, quod habet; valde autem multum est, abnegare quod est"[4]) — quod effatum non solum de animo, sed de tota humana natura valet. — Omnino autem, quicunque vivendo Christum sequuntur, etiam moriendo ei assimilantur, qui non modo locum iudicii et vindictae (Calvariae montem) in regionem benedictionis commutaverit, sed etiam sepulchra, in se horrore plena, fidelibus pacifica reddiderit. In iis, velut in Christo ipso, dies mortis revera est dies „Parasceves", quam elapso Sabbato, quo corpora in terrae gremio quiescunt, laeta resurrectionis solemnitas sequitur!

Hac ratione doctrina religionis christianae de natura et indole mortis, si ex omni parte consideratur, a quavis altera, quae homines aut super sidera tollit aut revera glebae adscriptos retinet, eosque quoad mores aut superbia efflat aut libidine deformat, penitus discrepans, humilitatem cum animi alti-

---

[1]) Cf. *Breviar. Monaster.* in festo s. Stephani. — Mortis desiderium e sincero pietatis sensu in Salvatorem concepto exortum luculentissimum reperitur in epistola s. Ignatii Antiocheni ad Romanos scripta; necnon in lamentatione, qua s. Laurentius diaconus Xystum pontificem martyrio tradendum prosecutus est.

[2]) *August.* de Trinit. Lib. XIII. cap. 16.

[3]) „Eo genere (mortis)," inquit *Lactantius*, „afficiendus erat (Christus), quo humiles et infimi affici solent, ne quis esset omnino, qui eum non posset imitari." Institt. div. L. IV. c. 26.

[4]) *Greg. Magn.* homil. 32. in Evangel. — De incruento hoc Martyrii genere cf. *Joa. Damasc.* de orth. fid. L. IV. c. 16.

tudine coniungit et alit. Mortis eventum in se formidandum providentia et benignitate divina iis, qui huic se accomodare volunt, iam nunc ex adversitate in emolumentum convertitur et postea resurgendo omnino aufertur.

§. 11.

Persaepe quum apud antiquos,[1]) tum etiam a scriptoribus sacris et ecclesiasticis[2]) *somno* mors comparatur. Equidem, quo meliore modo utrumque mortis characterem ex doctrina christiana paragrapho praecedenti erutum paucis comprehendam simulque ad resurrectionem carnis considerandam sermonem dirigam, nescio, quam adhibenda hac similitudine, cuius usum Salvatoris ipsius verba approbarunt.[3]) Quae contemplatio antiquos impellebat, ut mortem velut placidam laborum quietem somno, defatigatis maxime accepto, compararent, eadem a s. scriptura quoque non est aliena. Admodum familiare potius huic videtur, obitum iustorum hac figura describere.[4]) Quum vero impios quoque defunctos s. codex dormientes appellaverit,[5]) invitamur, ut similitudinem somni cum quovis mortis genere investigemus. Haec autem inprimis eo efficitur, quod praevalens naturae dominatio in utroque cernatur, quae animum etiam invitum cogat, ut a corpore in usum suum adhibendo abstineat; ita tamen, ut quamvis corpus quiescat et immobile persistat, animus, licet evanuisse videatur, quum in somno tum in morte superstes atque operator perseveret.[6]) Verumtamen

---

[1]) Cf. *Flügge* l. c. I. pag. 30.

[2]) I. Thessal. 4, 13. Daniel 12, 2. *Athenag.* de resurr. no. 16. *Tertullian.* de anima c. 43.

[3]) Matth. 9, 24. Joa. 11, 11.

[4]) Apocal. 14, 13. Actor. 13, 36.

[5]) E. g. Daniel 12, 2.

[6]) Hanc perseverantem animi vitam s. *Augustinus* ex somniis probabat, haec habens: „In somniis .. tibi velut corporeus apparebis; nec id corpus tuum, sed anima tua; iacebit corpus, ambulabit ipsa; silebit lingua, loquetur illa; clausi erunt oculi tui, videbit illa.“ — Cf. *Tertull.* de resurr. c. 18., de anima c. 58.

hoc loco magnum iam intercedit discrimen somnum inter et mortem; quo praetermisso multi inducti sunt, ut conditionem humanam inter mortem et resurrectionem etiam quoad animum statui dormientis omnino aequipararent. Haec opinio de sopore animi, quae saeculo praecedenti multum agitata est,[1]) ex praesenti influxu corporis in animum conditionem huius etiam a corpore separati diiudicare perperam praesumit.[2]) Omne tamen veritatis vestigium haec opinio nondum dereliquit. Conscientia quidem animi in defunctis salva persistit neque omnino in tam minutum cogitandi modum deprimitur, qualis in somniis dormientium animadvertitur. Nihilosecius etiam quoad animum aliqua saltem restat similitudo dormientium atque defunctorum. Dormientium scilicet animi, quamquam cogitantes et operantes somniis se manifestant, vigore tamen perfecto nequaquam fruuntur.

Similiter (licet ex ratione omnino diversa, quum in dormientibus naturae dominium, in defunctis vero eiusdem defectus et desiderium conspiciatur) animi defunctorum, etiamsi, simulac corpore excedebant, sortem aut felicem aut lugubrem assequantur, neque gaudii neque doloris perfecti participes compotesque evadunt, donec resuscitatis corporibus defectus naturae humanae suppleatur.[3]) Animus enim, quamvis ceu

---

[1]) Cf. *Flügge* l. c. III. 2. pag. 333 seqq.

[2]) Duplicem nimirum animi humani relationem distinguamus necesse est: alteram, qua corpus continet et gubernat, alteram vero eamque principalem, qua in semetipso existit et vivit. Unde deficiente priore operationis modo secundum quoque auferendum fore, iis modo asserere licet, qui, differentiam animi corporisque substantialem reiicientes, in animo solum corporis gubernaculum conspiciunt. — Bene ex hoc discrimine Tertullianus ψυχοπαννυχιαν iam refutavit dicens: „Adeo novit et apud inferos anima et dolere et gaudere sine carne, quia et in carne illaesa, si velit, dolet, et laesa, si velit, gaudet;" atque generatim de comparatione mortis cum somno annotans: „Atenim animae nec in viventibus dormiunt; corporum enim est somnus, quorum et ipsa mors cum speculo suo somno." *Tertull.* de anima cap. 58. Cf. de resurrectione carn. cap. 18. Praeterea inprimis cf. *Thom.* Summ. Prim. Secund. quaest. 4. articul. 5.

[3]) S. *Augustinus* animi separati quum vigorem tum defectum comprehendebat dicendo: „Si quem movet, quid opus sit spiritibus

pars naturae nostrae sublimior neutiquam eadem ratione a corpore dependeat, qua corpus ab animo (sine cuius consortio illud ne existere quidem potest), sed conscientiam et operationem salvam sibi conservet: attamen *animum humanum*, i. e. ad commercium corporis destinatum se esse sentit, et hanc ob rem operationum facultate, in quibus perficiendis corpus cooperatur, se spoliatum cognoscit. Ideam existentiae humanae et conceptum corporis, cui coniunctus olim vivebat, etiam ab hoc separatus abiicere nequit; sed eius ratione potius similiter affectus videtur, ac siquis membri alicuius, quod amputatum est, dolores adhuc eo loco percipit, quem illud antea occupabat. Dormientium corpori, quod a speciali animi commercio et imperio quodammodo solutum et naturae generali redditum videtur, animus nihilosecius restat coniunctus, ita ut excitante solum indigeat, ut membra prostrata animo gubernanti iterum se accomodent. In defunctis similia accidunt. Soluto per obitum vinculo reali cum animo, singulae quidem corporis partes gubernaculo superiore non amplius contentae naturae universali redduntur. Attamen corpus corrumpitur modo, non annihilatur; ex existentia concreta redigitur in abstractam, cuius rationem animus continuo habet. Quemadmodum in morte Christi, „etsi localiter anima a corpore separabatur, hypostatice tamen per Verbum uniebantur",[1]) ita in quovis homine idea ipsa *hu-*

---

defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si potest eis etiam sine corporibus summa illa beatitudo praeberi: difficilior quidem quaestio est... Sed tamen minime dubitandum est, et raptam hominis a carnis sensibus mentem et post mortem ipsam, carne deposita et transscensis etiam similitudinibus corporalium, non sic videre posse incommutabilem substantiam, ut sancti angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi: quo appetitu retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum coelum..." *Aug.* de Genes. ad liter. L. XII. cap. 35. (Cf. *Athenag.* de resurr. mort. no. 15. no. 25.) Cf. de hisce s. *Augustini* verbis *Thom.* Summ. Prim. Secund. qu. 4. artic. 5., in quo gaudia sanctorum non intensivum, sed extensivum modo incrementum ex resurrectione captura esse, et in statu praecedenti non secundum „inaequalitatem quantitatis, sed secundum inaequalitatem proportionis" a felicitate angelorum Deum intuentium se differre docet.

[1]) *Joa. Damasc.* de orth. fid. Lib. III. c. 27.

ius naturae humanae *individuae* a Deo constituta vinculum est, per quod animus et corpus, quamvis realiter separentur, ideali tamen quodam modo colligantur; ita ut, simulac corpus ex vita naturae universali ad vitam concretam resuscitetur, eodem instanti integrum cum animo consortium restituatur. Hoc autem fiet, quando elapsis saeculis tuba diem novissimum et universale generis humani iudicium indicaverit.

Iis vero, quae modo diximus, iam anticipavimus quaestionem de evento, quod uberius tractandum adhuc restat, de resurrectione videlicet mortuorum.

§. 12.

Resurrectio mortuorum totumque opus redemptionis quomodo inter se cohaereant, iam antea est relatum. Qua autem ratione resurrectio haec in ss. literis promissa accuratius sit intelligenda, nullo tempore Christianorum non movebat ingenia, quum desiderio naturae humanae, quod hac doctrina expletur, totidem scopuli et difficultates obstare viderentur. Quo factum est, ut diversae huius doctrinae expositiones sensim provenerint, quarum nonnullae vim huius eventi genuinam omnino abstulerint, nonnullae eam saltem mutilaverint. Admonente Lactantio, qui, „primus", inquit, „sapientiae gradus est falsa intelligere, secundus vera cognoscere",[1]) optimum fore rati sumus, falsas vagasque opiniones prius recensere; quo fiet, ut repulsis errorum nubibus lux veritatis christianae sincera eo magis effulgeat atque splendore suo alliciat.

Inprimis igitur ea sententia omnino est reprobanda, quae in dogmate resurrectionis aliud quidquam non conspicit, nisi fidem immortalitatis animi vivis coloribus descriptam ac ratione sensui communi magis accomodata et accepta propositam. Hanc opinionem qui amplectuntur, dictitare solent, ab iis, quibus purior conceptus spirituum nondum illuxisset, homines post mortem superstites alia ratione cogitari non potuisse, nisi corpora visibilia eorumque operationes illis tribuerent. Intimum mentis

[1]) *Lactant.* institt. div. L. I. cap. 23.

desiderium vitae post mortem futurae eos, qui acumine ingenii conspicui fuissent, induxisse, ut in fide immortalitatis solius animi, in quo essentia nostra genuina cerneretur, acquiescerent; gentes vero incultas et rudiores, quum spiritum purum sibi cogitare non valuissent, ex sola vitae terrestris natura statum post mortem venturum sibi effingere potuisse arbitrantur. Unde quaecunque in antiquitatibus quum sacris tum profanis occurrunt de fide resurrectionis vestigia mancas vel effusas potius descriptiones immortalitatis animi habent, quibus nuda veritas obtegatur;[1]) suamque ipsorum sententiam ita constituunt, ut doctrina etiam christiana quidquam praedicari negent, nisi eam fidem, quam apud antiquos ii, qui supra vulgus eminuerint, ex opinionibus communibus sibi iam eruerint: fore videlicet, ut morte non omnia terminentur, sed animus, abiecto corporis huius integumento, in statum perfectiorem evehatur, in quo, etiamsi sine schemate quodam subtilissimo cogitari nequeat, corporis tamen, quod exuerit, rationem neutiquam amplius habeat.[2])

Verumtamen totam istam assertionem ex iudicio de natura humana plane perverso oriundam esse, quis est, qui non videat? A veritate omnino recedunt, qui corpori nostro conditionem tam vilem assignant, ut illud escam vermium fieri nihili aestiment, dummodo animum[3]) corruptioni obnoxium non esse

---

[1]) Huiusmodi opiniones *Tertullianus* de resurrect. carn. cap. 38. impugnabat.

[2]) Universam istam sententiam Seneca iam profitebatur dicendo: „Cum venerit dies ille, qui mixtum hoc divini humanique secernat, corpus hoc, ubi inveni, relinquam; ipse me diis reddam. Nec nunc sine illis sum, sed gravi terrenoque detineor...... Alia origo nos exspectat, alius rerum status. Detrahetur tibi haec circumiecta, novissimum velamentum tui, cutis: detrahetur caro et suffusus sanguis discurrensque per totum: detrahentur ossa, nervique firmamenta fluidorum et labentium. Dies iste, quem tanquam extremum reformidas, aeterni natalis est. Depone onus, aequo animo membra iam supervacua dimitte et corpus illud inhabitatum diu depone. Abolebitur: ita solet fieri. Pereunt semper velamenta nascentium. Istis opertus es. Veniet, qui te relevet dies et ex contubernio foedi atque olidi ventris educat.“ *Senec.* ep. 102.

[3]) „Unser besseres Ich“ — qua loquendi formula qui eiusmodi opinionem tuentur, perlibenter utuntur. Verumtamen corpus quoque

persuasum habeant. Neque eo recte agunt, quod — si ita eloqui licet — scalam ex profundissimis terrae latebris usque ad coelum pertingentem in mundo erectam esse opinentur, in qua continuus evolutionis progressus conspiciatur, ita ut, quicunque celsiorem attigerit gradum, inferioris ultro libenterque obliviscatur. Quodsi vero, ut supra exposuimus, quaecunque vivunt, ex eodem fonte nequaquam processerunt, sed duae potius existunt substantiae creatae, quae in natura humana societatem inierunt: tunc non solum de vitae progressu et evolutione, sed etiam de commercio, separatione et reconciliatione procul dubio agi poterit. Sine ullo iure sententia, quam impugnamus, terminum *evolutionis* termino *resurrectionis* substituit, quamvis alter toto coelo ab altero distet, quum progressus continuus in evolutione postuletur, in resu*rrec*tione vero excludatur. Unde quoque frustra enituntur, ut eam, quam ipsi volunt, nudam solius animi immortalitatem velut cardinem universae huius doctrinae nobis persuadeant. Omnis videlicet resurrectio notam includit restitutionis in statum pristinum, quem interruptum supponit;[1]) de neutro verum ex sententia ista agitur, sed de progressu potius continuo. — Quodsi autem rem ita vertere velint, ut dicant, gentes incultas animum immortalem cogitare non potuisse, nisi corpus, quamvis in sepulchro id perire viderint, nihilominus animo coniungendum et ita quodammodo resurgens crediderint: responsum in promptu erit reputantibus, quanta intercedat differentia inter resurrectionem hoc modo explicatam eamque, quam fides christiana profiteatur. Ab istis videlicet gentibus corpus ideo post mortem residuum cum animo habitum fuisse existimant, quia animum purum sibi cogitare nequiverint; quo patet, ex eiusmodi opinionibus *solius animi causa* corpus perseverare; quum e contrario dogma de resurrectione christianum summopere *corporis* respectum habeat, quod sui ipsius gratia, qua pars naturae humanae essentialis, e sepulchro rediturum creditur!

---

partem personae nostrae essentialem, quamvis deteriorem, esse, hoc loquendi genere implicite affirmant.

[1]) Merito *Joa. Damascenus* inquit: *Ἀναστασις ἐστι δευτερα του πεπτωκοτος στασις.* Et paulo post: *Ἡ ἀναστασις ἐστι συναφεια παλιν ψυχης τε και σωματος και δευτερα του διαλυθεντος και πεσοντος ζωου στασις.* De orthod. fid. L. IV. c. 28.

Multi revera intelligebant, quantopere huiusmodi assertionibus vis resurrectionis genuina deleretur; quamobrem sententiam, quae videretur accomodatior et probabilior, eruere studebant. Confidentes igitur opinioni, quod sine ullo corpore esse Deo soli conveniat, ab animi vero humani efficacia corpus separari nequeat, resurrectionem ita expedire tentabant, ut eundem fere processum naturae humanae assignarent, qui in regno naturae in erucis in nymphas convertendis, e quibus papiliones denique evolant, quotannis animadvertitur. Affirmabant igitur, animum eo temporis momento, quo ex corpore hoc visibili exiret, organis corporeis subtilibus ex corpore ipso, quod reliquisset, desumptis induendum, i. e. ex corpore hoc materiali corpus quoddam subtilius et sublimius iam antea praeparatum, ruinae non obnoxium, progressurum fore, quod, nymphae instar in papilionem paulatim convertendae, plures evolutionis gradus percurreret, quorum supremus resurrectio appellari posset, si liberet. In hoc gradu videlicet supremo germen praeformatum, etiam post obitum animo inhaerens, in florem perfectum et splendidum explicari et hac ratione corpus excultum iterum apparere iis videbatur. Nonnulli, ut hanc sententiam magis commendarent, resurrectionem *carnis* et resurrectionem *defunctorum* acute distinguebant, hoc consilio ducti, ut *istam* in ss. scripturis nusquam doceri assererent, *hac* vero statum futurum, in quo, destructa existentia terrestri, ad vitam novam expergisceremur, significari nobis persuaderent.[1]) Ceterum tota ista hypothesis, magnorum etiam ingeniorum consensu illustrata,[2])

---

[1]) Cf. *Flügge* l. c. III. 2. pag. 381.

[2]) In horum numero praeter Cudworthum Anglum Leibnitzius et Bonnetus huic sententiae excolendae inprimis operam dabant. Praesertim Leibnitzius hanc doctrinam integro systemati suo ita intexuit, ut ab eo divelli vix possit. Secundum eius placita enim corpus humanum neque per generationem demum existere incipit, neque per mortem interit, sed variis tantummodo formis induitur atque *aut evolutum* pluribusque materiae accessionibus auctum, *aut involutum et in se quasi contractum* existit. Posterior hic existendi modus etiam per mortem efficitur, qua forma tantum visibilis cortexque externus deponuntur, manente corpore primitivo, quod stamen perenne est machinae externae perpetuaque animi sedes, organismi denique omnis radix et fundamentum. — Ceterum de origine, natura

formationes varias in rebus minoris momenti experta est, quarum duas praecipue memorare iuvat, quibus hanc opinionem a theologis merito impugnatam fidei christianae magis accomodare tentabant. Nonnulli igitur corpus huiusmodi subtilissimum solummodo in statu, qui mortem inter et resurrectionem intercederet, animo inhaerens, in resurrectione vero cum corpore pristino commutandum fore censebant; complures vero litem eo componere studebant, ut animum, etsi minuto corpore aethereo instructum, perfecta tamen facultate et efficacia agendi in res corporeas destitutum esse assererent, donec in resurrectione corpori huic subtiliori novae facultates novaque organa aut ex corpore pristino, aut ex supernae mansionis ubertate accederent.[1])

Communis autem, quae variis doctrinae huius expositionibus subest, sententia quantopere indolem mortis ignoret ac destruat, iam supra reputatum est.[2]) Nimirum quodsi res ita se haberet, ut moriendo ex corporis praesentis externi sarcina germen corporis interioris et essentialis liberaretur, quod, incrementa capiens, in adminiculum animi in dies se redderet aptius, quomodo mors a resurrectione distingueretur? Nonne secundum

---

et forma huius vehiculi disputabatur: utrum in corpore praesenti seminis instar lateat, utrum a mundi initio simul cum animo existat et in seminibus praeformatum sit, an in generatione demum cum animo coniungatur; utrum parvitatem atomi habeat, an per omnes partes corporis externi continuetur. Cf. *G. H. Mueller,* de exilio mortis Leibnitiano, in Gerhardi loc. theol. tom. 18. pag. 269—284. Bonnetus sententiam hanc magis excolebat uberiusque explanabat. Cf. *Bonnet,* palingénésie. Munster 1770. Opinioni de corpore rudiore tantum in morte exuendo favet etiam *Friedr. Schlegel.* Cf. Philosophie des Lebens. S. 103. f.

[1]) Cf. *Flügge* l. c. I. pag. 195.

[2]) Necessarium vero non est, uberius exponere, quomodo vis et significatio mortis genuina per hasce opiniones debilitetur atque auferatur, quum earum fautores sponte profiteantur, velle se doctrina sua *mortem* stricte sic dictam *proscribere* et *exulare iubere,* quum ortus aeque atque interitus animalium hominumque non sit verus, sed apparens tantummodo, quoniam in generatione evolutio solummodo et auctio, in morte diminutio et involutio sit conspicienda, salvo semper aliquo vitae gradu. *Bonnetus* v. c. ita disserebat:

hanc opinionem mors ipsa quaedam iam est resurrectio? Nonne eventum, quo sublimius illud animi organon ex materia relicta primitus progreditur, multo maioris erit aestimandum, quam id momentum, quo supremum perfectionis gradum attinget? Mors igitur et resurrectio, quae ex notione sua eadem ratione sibi opponuntur, qua destructio et restitutio, in processum eundem quodammodo rediguntur et inter se commiscentur. Unde etiam, quodsi ad usum vulgarem attendere velis, procul dubio observabis, quantopere permulti, in quibus similis cogitandi ratio viget, neutiquam ex resurrectione, cuius fiduciam Christus exhibuit, sed magis ex inordinata quadam et vaga mortis transfiguratione, quae ab analogiis in regno naturae occurrentibus repetitur, quidquid duri atque molesti in obeundo conspiciatur, mitigare studeant. Quae cum ita sint, haud difficulter quoque intelligitur, unde fiat, ut Rationalistae, q. v., istius doctrinae patrocinium ultro ac libenter suscipiant.[1]) Neutiquam ad resurrectionem futuram explanandam atque illustrandam ita agunt, quum potius eam negent; perspiciunt e contrario neque aegre ferunt, quod hisce sententiis resurrectio vera et genuina funditus tollatur, mors ex evento ordini primitivo adversanti in processum ab initio constitutum convertatur, universa denique vitae humanae conditio infra limites naturae communis contineatur.

Ad similitudines autem ex regno naturae desumptas, quibus resurrectio corporum saepe aequiparatur necnon vulgo commendatur, quod specialiter attinet, haec merito observanda videntur: Patres et scriptores ecclesiastici, etsi, praeeunte ipso

---

„J'étois venu à envisager la Mort comme une sorte d'Enveloppement, et la Résurrection comme un second Dévelloppement, incomparablement plus rapide que le premier... Je considérois le Tout organique, parvenu à son parfait accroissement comme un Composé de ses Parties originelles ou élémentaires, et de Matières étrangères que la Nutrition leur avoit associées pendant toute la durée de la Vie.“ Palingénésie tom. I. pag. 240.

Platonici et Pythagoraei, mortem proprie sic dictam negantes, hisce opinionibus et effatis praeluserant.

[1]) *Wegscheider*, *Herder* sententim fere eandem amplectuntur. Cf. *Perrone*, praelect. theol. Edit. Paris. T. I. p. 894.

Paulo Apostolo, ad confirmandam resurrectionis fidem haud raro testes adhibebant analogias naturae externae, quae resurrectionem nostram cursu suo quotidiano imitari videbatur, omnino tamen abhorrebant, ne resurrectionem mortuorum in eodem numero cum similitudinibus a natura oblatis haberent. In hac quidem multa procul dubio videntur eventa, quibus resurrectionis memoria in animo excitatur, quum quandam eius imaginem revera prae se ferant. „Omnia enim", inquit Tertullianus, „in statum redeunt, quum abscesserint; omnia incipiunt, quum desierint; ideo finiuntur, ut fiant; nihil deperit nisi in salutem. Totus igitur hic ordo revolubilis rerum testatio est resurrectionis mortuorum; operibus eam praescripsit Deus antequam literis; viribus praedicavit antequam vocibus. Praemisit tibi naturam magistram, submissurus et prophetiam, quo facilius credas prophetiae discipulus naturae; quo statim admittas, quum audieris, quod ubique iam videris, nec dubites Deum carnis etiam resuscitatorem, quem omnium noveris restitutorem".[1]) — Jam vero quaeritur, quousque hisce similitudinibus in exponenda resurrectione mortuorum uti liceat? in quo illa cum eventis hisce naturalibus conveniat, quo verum ab iis discrepet? Hisce quaestionibus breviter est respondendum: *similem* in utroque *effectum* procedere ex *causis* omnino *diversis* et ratione prorsus opposita; ita ut bene quidem exempla illa naturalia adhibeantur, quibus statum perfectiorem ex ruina praecedenti prodeuntem ostendamus; neutiquam vero, quibus modum et rationem immutationis corporum nostrorum quoad singula explicemus.[2]) Hoc autem faciunt, quicunque tales fovent opiniones, quales modo recensuimus. Sed videamus singula. Contingit hac in re, quod generatim in operibus divinis supra ordinem consuetum eminentibus evenit. Haec enim in restituendo

---

[1]) *Tertull.* de resurrect. carn. cap. 12.

[2]) „Ex rebus naturalibus non cognoscitur aliquid non naturale ratione demonstrante, sed ratione persuadente potest cognosci aliquid supra naturam, quia eorum, quae supra naturam sunt, ea quae sunt in natura aliquam similitudinem repraesentant," inquit *Thom.* Supplem. 3. Partis Summae qu. 75. artic. 3., quem integrum de hac materia cfras.

statu originali eosdem vel similes effectus persaepe producunt, quales in regno naturae quotidie intuemur. Hosce igitur velut exempla, quibus fides eventorum multo praestantiorum in nobismet ipsis perficiendorum confirmetur, adhibere iis maxime licet, qui mutam quidem, attamen dilucidam naturae praedicationem Deumque *„non minus parabolis operatum, quam locutum“*[1]) ex universa indole naturae noverunt. Verumtamen quantum discrimen intercedebat inter opus Christi, qui coecum oculorum lumine ab infantia funditus destitutum sanavit, et medicorum industriam, qua oculorum aciem lippis restituunt; tanto, immo maiore discrimine distinguitur resurrectio mortuorum ab analogiis, quibus vulgo eam non modo quoad effectum illustrare, sed quoad totam eius rationem explicare fautores sententiae supra relatae tentabant; parum attendentes ad tritum istud proverbium, quo „omnem comparationem claudicare“ edocemur. Inanis eorum conatus quo melius elucescat, hanc rem in exemplo, quo Apostolus ipse (I. Cor. 15) usus est, quoad singula exponamus. Similitudo insuper desumpta a seminibus, quae in terram proiecta initio perire videntur ac dein germinando quodammodo resurgunt, multo melius congruit universae huic rei, quam exemplum erucae paulo post ex nympha in papilionem convertendae, cui sortem humanam illi assimilant, qui morti proscriptae depositionem vestimenti crassioris substituunt. In exemplo Paulino nimirum non modo reparationis, sed etiam destructionis praeviae corporis nostri similitudo monstratur, quae in altero exemplo desideratur. Quemadmodum corpora nostra terrae mandata ex existentia individua in naturam communem secedunt, ita grana quoque frumenti in humum proiecta a viribus naturae impetuntur magnaque ex parte consumuntur. Nihilosecius tamen interiecto brevi spatio, quae in humo corrupta videbantur, exsurgunt pulchra habituque splendenti ornata. Sic corpora quoque nostra, in terris putrefacta, multo praestantiora e sepulchris procedent, eadem quidem quoad substantiam, sed mutata quoad conditionem. — Jam vero insignem considera differentiam utriusque eventi: Semina in humum iniecta vitam in se recondunt, cuius effi-

---

[1]) *Tertull.* de resurr. carn. cap. 14.

cacia periculum dissolutionis perfectae repellit atque agit, ut humum ipsam denique perrumpant et in lucem emergant. E contrario corpus, quod sepelitur, *mortuum*, i. e. quavis se conservandi potestate adeo privatum est, ut partes singulae vinculo communi non amplius contineantur; unde in naturam universalem paulatim omnino transeunt. Similitudini igitur externae differentia essentialis adiuncta restat; quo fit, ut, — sufficiente potentia naturali, quae ex destructa sive in plantis sive in animalibus (per immutationem habitus) forma priore novas formationes secundum certum processum et definita temporis intervalla producat —, corpora mortua in vitam restitui nequeant, nisi operante omnipotentia divina, quae vitam novam inspiret cineribus. Hanc vero necessitatem et energiam operationis divinae, quae in perficienda corporum resurrectione aequali modo se manifestat, ac in creatione eorum, ii sine dubio imminuunt, qui germen naturale resurrectionis praeformatum constituunt. Perperam vero ab iis resurrectionem aliquatenus saltem ex opere potestatis divinae in ordinem naturalem detrudi, intelligemus reputantes, quod in corporibus resuscitandis altera solummodo pars eiusdem operis divini sit conspicienda, quo velut creatione secunda ad reparandam generis humani ruinam opus erat.[1]) Opinio igitur de praeformato resurrectionis germine, multa quidem sagacitate non raro exarata, merito repudiatur, quippe qua vis et significatio eventi illius genuina auferatur.

---

[1]) Ne resurrectionem tali ratione, qua posteriores isti, explicarent, Tatianus Christianos antiquos iam monebat. Cf. eius orat. c. Graec. no. 6. Merito inquit *J. H. Pabst:* „Jene Vorgänge sind ganz natürliche Processe in dem Einen Leben der Thiere, die dadurch weder geistiger, noch unsterblich und unverweslich werden, nichts aber ist widernatürlicher, als der Tod, — ja er ist die eigentliche und wahrhafte Widernatur selbst, — weil der wesentliche Widerspruch, den die Creatur in der Freiheitsprobe in ihr Sein setzt, wenn sie dasselbe wider die Idee Ihrer vollendet, so dass sie nun vollendet ist, und eben so vollendet nicht ist, dass sie ewig besteht, und doch in der Idee aufgehoben besteht. Wenn aber der Tod Widernatur und Vernichtung, — die Auferstehung mithin der Moment einer neuen Schöpfung ist: woher und wozu dann überhaupt ein natürlicher Auferstehungskeim?... Dieser Auferstehungskeim, dieser

Nam si resurrectio est mortis reparatio (non vero eius consummatio,[1]) ad ipsum corpus, quod mortuum terraeque mandatum est, procul dubio spectat; „sicut ipsius verbi sono exprimitur, ut, quod cecidit, resurgat; quod mortuum fuerit, reviviscat.“[2]) Oportet igitur, ut eidem corpori, quod obeundo reliquit, animus iterum coniungatur. Attamen hac in re ii quoque sensum resurrectionis genuinum mutilant, qui arbitrantur, non quidem in mansionibus supernis corpus quoddam interius animo coniunctum perseverare, in sepulchro tamen partes duriores vel etiam ultima corporis stamina a corruptione immunia restare, quae elementa quodammodo et bases subministrent, e quibus potestate divina corpus integrum denuo sit excitandum. Inepta quadam ratione haec hypothesis a Judaeis proposita reperitur. Opinabantur videlicet, universum corpus humanum corrumpi et dissolvi praeter minutum quoddam os in dorso residens, neque corruptioni neque ulli destructioni obnoxium; ex quo ossiculo, cui nomen לוּז imponebant, rore coelesti prius emollito corpus reparandum fore fabulabantur.[3]) Sed neque in hoc ossiculo (fictitio), neque in aliis membris, vel etiam in ultimis staminibus et elementis, quae per diuturnum tempus fortasse magis vel minus salva in sepulchris conservantur, essentia corporis humani consistit;

ätherische Leib in der Raupenhülle des jetzigen ist nichts Anderes, als ein Gebilde des modernen sentimentalen Heidenthums, welches, das Verdienst und die Grösse des Werkes Desjenigen, der Allein unser Auferstehungskeim, — der die Auferstehung und das Leben selbst ist, ignorirend, den Stachel des Todes in einem luftigen und schimmernden Insecte zu verbergen sucht.“ *Pabst*, der Mensch u. s. Gesch. S. 162.

[1]) Iis enim, de quibus modo disserebamus, resurrectione perfici videtur, quod morte inchoabatur.

[2]) *Ambros.* serm. de fid. resurr. c. 19. Cf. *Tertull.* adv. Marcion. L. V. c. 9.

[3]) Cf. *Sepp*, Leben Christi Bd. III. S. 267. *Flügge* l. c. I. pag. 299—302. *Tertullianus* quoque ab opione simili non abhorret. Dicit enim: „Constat, non tantum ossa durare, verum et dentes incorruptos perennare, quae ut semina retinentur fructificaturi corporis in resurrectione.“ De resurr. cap. 42; ad quem locum Rigaltius simile Platonis effatum ex Phaedone desumptum annotavit.

unde etiam singulae hae partes disiectae pro elementis, e quibus corpora resurgentium producantur, haberi nequeunt. Neque tota staminum et atomorum supremorum series et massa accumulata, quae in mortis articulo materiam corporis alicuius humani constituebat, qua talis et solummodo in se spectata, corporis huius determinati essentia est. Fluxus enim continuus, quo formationes naturae agitantur, efficit, ut eaedem partes materiae ad constituenda corpora plura successive adhibeantur atque ad organismum modo hunc modo illum pertineant. Unde neque *summam particularum* corporis mortui, quae mox usque in atomos dissolvuntur, in varias plagas disiiciuntur, in corpora alia transeunt, *cum corpore ipso* commutare licet opinando, fore, ut haec elementa corporis materialia ex diversis, quas postea patiantur, mutationibus a Deo colligantur et in corpus novum restituantur; quum e contrario ad formationes plures pertineant. Neque diffitendum, quod Athenagoras acutius, quam verius distinguebat elementa naturae corporum vivorum, a quibus reciperentur, aut accomodata aut adversantia, et hanc ob rem in eorum substantiam aut transeuntia aut ab iis segreganda; et in horum numero elementa collocabat, quae ex corporum aliorum dissolutorum substantia ab hominibus vel a belluis non raro quidem reciperentur, sed, quum in illorum nutrimentum destinata non essent, confestim secernerentur et corpori primitivo reservarentur.[1]) Omnino ut de resurrectione recte sentiamus simulque argumenta, quae ex dissoluta variisque mutationibus obnoxia corporum sepultorum conditione contra hanc fidem vulgo petuntur, velut uno ictu removeamus, oportet, ut indolem regni naturae ac praesertim corporis nostri rite intelligamus. — Juxta antiquam illam naturae naturantis

---

[1]) *Athenagor.* de resurrect. mort. no. 5—8. S. *Augustinus* in enchirid. cap. 88. simili cogitandi ratione ductus videtur, dicens: „Non perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremque solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcunque animalium, et iam hominum cibum cedat carnemque mutetur: illi animae humanae puncto temporis redit, quae illam primitus, ut homo fieret, viveret, cresceret, animavit.“ Cf. etiam de civ. Dei. L. XXII. c. 20.

et naturae naturatae, q. v., distinctionem quum in universo naturae regno tum in formationibus eius singulis internum aliquid et externum discernendum atque in priore causa formatrix posterioris conspicienda est. Quum substantia naturae a primo evolutionis momento se quodammodo dividat et iam non amplius in se, sed in formationibus modo, quas producit, subsistat: evenit, ut interius illud regni naturae principium, ex quo omnes eius evolutiones procedunt et in existendo continentur, neque quoad naturam universam neque quoad formationes singulas, sit aliquid definitum, quod (si ita eloqui fas est) manibus quodammodo palpari et contrectari vel digito indicari possit. Universa natura vim quandam formativam velut suppositum interius, externas formationes effingens, in se recondit. Formationibus autem singulis aliquid ex vi ista generali inest; modus autem, quo haec vis ratione quadam speciali se manifestat et singulas hasce formationes constituit, harum formationum essentiam efficit. Quo elucet, nequaquam in materia ista externa propriam et incommunicabilem formationis uniuscuiusque essentiam esse conspiciendam, sed in principio quodam formali potius, quod eo efficiatur, ut vis illa naturae interior, quae sine formatione externa cogitari nequit et in hac solummodo subsistit, modo quodam certo et definito in formatione hac speciali se manifestet. Eandem sententiam paucis ita proponamus: Essentia formationis uniuscuiusque in regno naturae *notione* eius constituitur. Per notionem nimirum ex altera parte ratio illa specialis exprimitur, quae enti unicuique velut norma existendi propria obversatur; altera autem ex parte ex manifestatione externa et apparenti ratio haec interior per notionem abstrahitur. Sic v. c. essentia arborum in ea ratione consistit, quam vis formativa naturae in producendis arboribus secuta est, et quam nosmet ipsi ex formationibus arborum, quas intuemur, abstrahimus. Essentia igitur rerum naturalium est medium aliquid inter vim in iis operantem et formationem externam, quam videmus; seu potius, est vis ista naturae, quatenus se speciali ac determinato quodam modo foris manifestavit. Quemadmodum autem notiones generales et speciales distinguuntur, ita quoque essentiam generalem, specialem et individuam in universa formationum naturalium multitudine dis-

cerni posse perspicuum est. Essentia generalis et specialis formationibus pluribus communes sunt; essentia vero individua uni tantum convenit formationi, a qua separari nequit, et consistit in complexu omnium istarum rationum ac relationum, quae cooperabantur, ut formatio haec singularis a reliquis omnibus distincta proveniret. Sic v. c. essentia arboris *huius,* quam aspicio, in qualitate et proprietate eius determinata et incommunicabili consistit, quae eo exorta est, ut, quae ei inest vis generalis naturae vegetativa, concurrentibus certis legibus variisque circumstantiis, talem eam produxerit, qualem eam animadvertimus. Nemini vero in mentem incidet, ut arboris huius essentiam investigaturus ad materiam potius, ex qua radix, stipes et rami constant, quam ad organismum et structuram eius interiorem etc. animum intendat.[1])

His autem, quae modo dicta sunt, innitamur necesse est, si quaerimus, quomodo idem corpus, quod in terris gerimus, e sepulchro excitari possit. Essentia nimirum corporis humani neutiquam in massa ista materiali consistit, in quam oculos coniicimus; — quae opinio eo iam reprobatur, quod secundum placita physiologorum haec materia vicissitudine continua agitatur, tanta quidem, ut elapso annorum nonnullorum spatio omnino mutetur. Nemo tamen, nisi amens sit, asserere audebit, se per vitae decursum diversis uti corporibus senemque se aliud corpus quoad essentiam habere, quam in iuventute. Organis autem, quorum materia perpetuo variatur, subest forma quaedam et compositionis regula oriunda ex ratione singulari, quam vis vitalis naturae in gignendo corpore hoc individuo, ad consortium unius animi determinati destinato, secuta est; ita ut unumquodque corpus concretam animae vitalis, qua vegetatur, manifestationem repraesentet et tam diu consistat, donec suppositum illud vitae individuae a natura universali superetur et in eam iterum recipiatur; quo facto etiam forma illius externa, corpus videlicet, corruit. In natura autem humana principium vitae animalis, cuius evolutio concreta in corpore conspicitur, animo tam arcte coniunctum est, ut sine eo ne ullo quidem momento subsistere possit; unde, simulac *animus*

---

[1]) Cf. *Staudenmaier,* Dogmatik III. S. 185—190.

per mortem a corpore separatur, *anima* quoque vitalis una cum corpore, quod effinxerat, redit in vitam naturae universalem. Determinata igitur et concreta corporis existentia in abstractam redigitur, quum, etiamsi in externa rerum natura corpus hoc individuum et concretum qua tale pereat, eius tamen essentia, quae in definita illa ratione consistit, secundum quam organismus ille e natura universali evolutus et *uni* animo coniunctus erat, Deo cognita restet. In resurrectione autem hoc speciale vitae suppositum ex natura universali, in quam abierat et in qua quoad potentiam existere pergebat, revocatur in existentiam actualem (quae sine forma eius concreta, corpore videlicet, cogitari nequit) atque in eiusdem animi societatem redit. Corpus autem hoc modo resuscitatum eadem essentia fruitur, qua sepulchro impositum utebatur; quia eadem in utroque est ratio, secundum quam ex natura universali corpus singulare et determinatum, ad eundem animum pertinens, excitatur. Tota enim corporis resuscitati notio, quae in vita pristina in forma concreta nobis apparuit, post mortem vero in cognitione Dei et animi, ad quem pertinebat, existentiam abstractam et in regno naturae existentiam potentialem continuavit, in resurrectione restituitur. Animus autem, qui etiam in statu separationis notionem corporis sui non dimiserat, idem corpus, cuius societate antea utebatur, sibi redonatum sentit; idemque homo, qui in terris vitam degebat et mortuus est, integer atque a ceteris omnino distinctus hoc modo reparatur.[1]) Elucet simul, non esse difficilius, resuscitari defunctum, cuius corpus iam omnino corruptum sit et dissolutum, quam talem, qui ante horas nonnullas obierit et cuius effigies aliquatenus adhuc con-

---

[1]) Obiiciet fortasse aliquis: „Si res ita se habet, neque massa ista ossium, carnium etc. essentiam corporis humani constituit, sed in naturam universalem aliasque formationes serius ocius transibit; quo iure Reliquiae Sanctorum cultu religioso decorantur et velut futuri corporis gloriosi elementa honorantur? Nonne hic cultus Reliquiarum iis, quae de corporum essentia atque reparatione futura modo asserebantur, repugnare videtur?“ Immo vero, quae supra dicta sunt, hoc Reliquiarum cultu velut novo argumento illustrantur. Revera enim in illis materiam ossium etc. qua talem non veneramur, sed singularem potius istam vitae naturalis formam et rationem, quae iis tam diu repraesentatur, quam in forma priore aliquatenus

tineatur; eadem potius potestas divina in actu utroque requiritur, quum suppositum vitae huius individuae in utroque defuncto aeque abierit.

§. 13.

Iis autem, quae modo asseruimus: fore, ut homo idem quoad essentiam integer ab inferis revocetur et restituatur, non repugnat, sed potius bene congruit, ut corpus, quoad essentiam non mutatum, conditione tamen a praesenti diversa sit fruiturum. Quum enim resurrectione destructio suprema et universalis dominatus naturae in animum dirique inter utrumque duelli acquiratur, perspicuum est, quod omnis relatio perversa et destinationi genuinae contraria animum inter et corpus per eam auferatur, atque, restituta norma primitiva, corpus in comitem et consortem animi perfectum provehatur. Haec tamen efficacia resurrectionis, ut naturam humanam secundum ordinem divinum, ex quo exciderat, integram restituat, negativa solummodo est; cui vero altera: positiva videlicet, est adiungenda. Quomodo enim animus ex peccatorum statu resuscitatus non modo perversitatem pristinam abiecit, sed etiam vitae sublimiori gratiae sanctificantis initiatur, ita corpus quoque non solum conditione deteriore liberatur, sed etiam in id vitae genus promovetur, ad quod velut ad fastigium conditionis atque concordiae primitivae secundum voluntatem divinam natura humana sine mortis interventu elevata foret. Haec natura humana, qualis fuit ante lapsum, sive vinculum illud arctissimum et praeclarum inter corpus et animum per resurrectionem non modo reparatur, sed etiam consummatur. Corpus animo redonatur, ut societatem omnibus numeris absolutam cum eo ineat eiusque habitum interiorem foris in se manifestet. Hinc *transformatio* est deducenda, quae corpori in vita futura continget;

---

saltem adhuc perseverant. Corpore penitus contrito atque in pulverem soluto, forma et ratio haec singularis simulque veneratio cessat. — Simile quid etiam in ss. Eucharistiae sacramento contingit, quo pari ratione confirmantur, quae de essentia corporum supra relata sunt. Quousque enim species panis et vini restant, tam diu permanet etiam praesentia Salvatoris; istis vero elapsis et consumtis, Sacramentum quoque desinit et evanescit.

inde est repetendum discrimen, quod inter conditionem corporis resuscitati atque praesentis intercedit. Quemadmodum naturae ac praesertim corporis nostri status depravatus, quem in praesenti animadvertimus, eo originem duxit, quod ab animi ditione defecerit, ita futura eius integritas eo est explicanda, quod corpus perfecto animi consortio, quod velut ultimum finem universum naturae regnum appetit et adspirat, quum in bonis tum in improbis tum demum fruatur eorumque aut pulchritudinem aut foeditatem internam in se repraesentet. Perperam omnino neque ulla ratione stabiliti ii sentiunt, qui hanc immutationem ita exponunt, ut corpus futurum ex materia quadam lucidiore compositum fore affirment, quae ex praesenti ossium et carnium massa — aquae instar destillatae — quodammodo extrahatur. Eodem errore, quo obstringuntur, qui corpus protoparentum lapsorum ex aethereo quodam in hanc crassam condensamque carnis materiam mutatum fuisse opinantur,[1]) ii quoque tenentur, qui antiquam Jobi vocem subvertunt: „In carne mea videbo Deum meum". Job. 19, 26. Caro quidem et sanguis, secundum verba Apostoli I. Corinth. 15, 50, regnum Dei non possidebunt; sed „nomine *culpae*, non *substantiae* arcentur a regno Dei", inquit Tertullianus.[2]) Communis deinde usus loquendi, secundum quem futuram corporis conditionem nomine „corporis *clarificati*" significamus, opinioni, quam reprehendimus, neutiquam subvenit; sed, quomodo sit intelligendus, ex ipsius Salvatoris effato optime colligitur, qui in sermone, quem in monte habuit, quondam dixit: „Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit," Matth. 6, 22; luculenter indicans, quomodo sanctitas et pulchritudo animi, ex oculo modesto effulgens, in universum quoque corpus nitorem ac splendorem iam in vita praesenti, — quanto magis in futura diffundat![3]) Quo interior corporis cum

---

[1]) Hanc Valentinianorum assertionem impugnabat *Tertull.* de resurr. c. 7. Quoad nostram aetatem cf. *Pabst,* Janusköpfe S. 78.

[2]) *Tertull.* de resurr. carn. *August.* enchirid. c. 91.: „Quantum attinet ad corruptionem et ad vitia, quibus caro adversus animam concupiscit, tunc non erit caro; quantum ad substantiam, etiam tunc erit caro."

[3]) „In corpore non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit." *Aug.* de civit. Dei XXII. c. 20. Cf. *Thom.* Suppl. 3. P. qu. 85.

animo, huius autem cum Deo societas, eo magis lumen verum et indeficiens, quod est numen ipsum divinum,[1]) universam naturam humanam illuminat. Maior autem vel minor gradus perfectionis spiritualis diversam quoque corporis claritatem efficiet (I. Cor. 15, 41); qui vero mentem a lumine divino aversam tenebant, in iis corporis quoque splendor nullus aderit. Quemadmodum — ut similitudine rem exponamus — ferrum igni immissum totum candens efficitur et, quamvis idem omnino quoad essentiam perseveret, per ignem tamen ex atro rigidoque metallo splendens visuque iucundum evadit: ita etiam corpora beatorum animi candorem revelabunt; reproborum vero conditio tenebrosa etiam in corpora eorum emanabit.

Ex hoc animi corporisque connubio, in quo animus gloriam aut ignominiam suam corpori omnino communicat, corpus autem animo eiusque sorti prorsus subiicitur, ratio quoque proprietatum, quae corporibus resuscitatis vulgo tribuuntur, est repetenda. Praeter immortalitatem videlicet, quae ex supremo resurrectionis fine sponte perspicitur, quatuor vulgo proprietates a theologis, praeeunte s. Thoma,[2]) enumerantur; quae, etsi ad resurrectionem gloriosam proxime pertineant, mutatis mutandis ad damnatorum quoque corpora transferri possunt. Sunt autem: impassibilitas, subtilitas, agilitas, claritas; quarum causam etiam s. Thomas, refutatis aliis explicationibus, eo deducit, quod resurgentium corpora animis sint omnino subiecta. De impassibilitate enim haec habet: „Omnis passio fit per victoriam agentis super patiens: alias non traheret ipsum ad terminos suos. Impossibile est autem, quod aliquid dominetur super patiens, nisi quantum debilitatur dominium formae propriae supra materiam patientis, loquendo de passione, quae est contra naturam, de qua nunc loquimur: non enim materia subiicitur uni contrariorum sine hoc quod tollatur dominium alterius super ipsam, aut saltem diminuatur. Corpus autem humanum et quicquid in eo est, erit perfecte subiectum animae rationali, sicut anima perfecte erit subiecta Deo; et ideo in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio contra dispo-

---

[1]) Cf. *Staudenmaier,* Dogmatik II. S. 416—420.

[2]) *Thom.* Supplem. 3. P. Summ. quaest. 82.

sitionem illam, qua perficitur ab anima: et ita corpora illa erunt impassibilia."[1]) — De subtilitate disputans refellit eos, qui „dixerunt, quod corpus in resurrectione remanebit, sed habebit subtilitatem secundum modum rarefactionis, ita quod corpora humana in resurrectione erunt aeria vel vento similia;" quibus merito opponit: „Dominus corpus habuit palpabile . . . et corpus humanum cum carnibus et ossibus resurget sicut corpus Domini, ut dicitur Luc. ult.: Spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere . . . Ideo est assignandus corporibus gloriosis alius modus subtilitatis, ut dicantur subtilia propter completissimam corporis perfectionem . ., quae erit ex dominio animae glorificatae super ipsum, ratione cuius corpus gloriosum spirituale dicitur, quasi omnino spiritui subiectum . .,[2]) unde etiam Gregorius dicit in L. 14. Moral. (c. 31.), quod corpus gloriosum dicitur subtile per effectum spiritualis potentiae."[3]) Sicut subtilitas corpori glorioso convenit quoad modum existendi ex imperio animi, ita ex eodem fonte quoad modum operandi procedit agilitas, ex qua habile fit ad exsequendam animi voluntatem. De hac s. Augustinus asserere non dubitat: „Ubicunque erit voluntas, ibi erit statim corpus."[4]) — Denique quum de claritate iam supra locuti simus, restat, ut annotemus, quod ex hisce dotibus corporum gloriosorum, quas quoad singula quidem perscrutari et intelligere non valemus, mira eorum efficiatur conditio, cuius aliquam saltem imaginem ex Christi redivivi exemplo effingere licet. Tria inprimis in Salvatore resurgente movent stuporem: quod videlicet varias induerit corporis formas, quod ostiis clausis inter medios discipulos intraverit[5])

---

[1]) *Thom.* l. c. quaest. 82. artic. 1.

[2]) Merito inquit *Alcuinus* de fide Trinit. L. III. c. 20: „Spirituale erit corpus, non carnale; quamvis caro sit, non spiritus, non tamen carnalibus subiacebit vitiis...." Cf. *August.* epistol. 146. ad Consentium, in qua de proprietatibus corporum resuscitatorum ex professo agitur.

[3]) *Thom.* l. c. quaest. 83. artic. 1.

[4]) *August.* de Civ. Dei. L. XXII. cap. ult.

[5]) De hac re inquit *Augustinus:* „Nec nos moveat, quod clausis ostiis subito eum apparuisse discipulis scriptum est: ut propterea negemus illud fuisse corpus humanum, quod contra naturam huius corporis videmus esse, per clausa ostia intrare. Omnia enim

atque cum iis conversatus et comedens [1]) subito evanuerit. Haec prodigia, quamvis ad conversationem pertineant, quam Christus, transformatus quidem et clarificatus, adhuc in praesenti rerum conditione, in regionibus mortalitatis nostrae ducebat et hanc ob rem *non ex omni parte* ad statum nostrum futurum accomodari posse videantur, aliquatenus tamen futuram corporum conditionem adumbrant, praesertim quum in Christo glorioso exemplum conspiciatur perfectae illius obedientiae, quam corpus animo in statu futuro exhibiturum est.[2]) Ceterum hisce eventis subtilius investigandis ac perscrutandis merito supersedemus; melius iudicantes „in tam occultis causis confiteri ignorantiam, quam periculosam assumere fortassis audaciam“,[3]) et obsequentes Apostolo monenti: *μη ὑπερφρονειν παρ᾽ ὁ δει φρονειν, ἀλλα φρονειν εἰς το σωφρονειν.* Rom. 12, 3.

---

possibilia sunt Deo. Nam et ambulare super aquas contra naturam huius corporis esse manifestum est. Et tamen non solum ipse Dominus ante passionem ambulavit, sed etiam Petrum ambulasse fecit. Ita ergo et post resurrectionem suam de corpore suo fecit, quod voluit. Si enim potuit ante passionem clarificare illud sicut splendorem solis, quare non potuit et post passionem, ad quantam vellet subtilitatem in temporis momento redigere, ut per clausa ostia posset intrare? *Aug.* de agone Christ. no. **11.**

[1]) *August.* epist. 49. ad Deograt.: „Futurae resurrectionis corpus imperfectae felicitatis erit, si cibos sumere non potuerit; imperfectae felicitatis, si cibis eguerit. Sed aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius calens; illa indigentia, iste potentia.“ In eadem epistola de cicatricibus Christi velut signis gloriosis e pugna reportatis triumphantem exornantibus agitur. In ep. **146.** ad Consent. omnes quaestiones de huiusmodi rebus agitatae paucis ita componuntur: „Absit labes, adsit effigies; adsit motio, absit fatigatio; adsit vescendi potestas, absit esuriendi necessitas...“

[2]) Ex obedientia hac perfecta corporis explicat v. c. s. Thomas, quomodo Christus ab oculis discipulorum repente disparuerit. *Thom.* l. c. qu. 85. art. 3. — Ceterum vero imperium tantum animis humanis in vita futura obventurum esse, ut quibuscunque velint modis formam corporis mutare: extendere, contrahere etc. possint, nonnulli (*Eschenmayer* e. gr.) immerito opinari videntur.

[3]) *Cassiod.* de anima. cap. 9.

§. 14.

Hoc autem φρονειν εἰς το σωφρονειν nostra in re eo maxime probatur, ut secundum eiusdem Apostoli monitum I. Corinth. 15, 14—21 resurrectionem carnis inter pretiosissimos fidei articulos habeamus; in quo dogmate videlicet velut in compendio omnia fidei nostrae capita conveniant et indolem suam specificam erroribus diversi generis opponant. Sunt, qui arbitrantur, fidem resurrectionis, etiamsi multum solatii in se contineat, inter veritates tamen fidei principales non esse habendam, quum id modo maximi faciendum sit, ut immortalitatem *animi* persuasam habeamus. Attamen solius animi immortalitatem qui affirmant, nostra praesertim aetate iustam nobis movent suspicionem, ut eandem fere sortem animo assignare velint, quam aqua in vapores soluta experiatur, quae quidem, relictis densioribus additamentis, in auram communem dissipatur et existentiam specialem neutiquam sibi conservat. Altera quidem ex parte quamvis rigidus Tertullianus ultra, quam par est, progrediatur, animos singulos sine quodam corporis vehiculo sibi cogitare non valens;[1] revera tamen negari nequit, ex resurrectionis demum fide, qua totam integramque naturam humanam sepulchro superstitem edocemur, fiduciam immortalitatis personalis non solum distincte et accuratissime contra vagas opiniones de ea habitas inculcari,[2] sed etiam talem concedi immortalitatem, quae sola intima cordis nostri expleat desideria. S. Thomas de hac re animadvertebat: „Ultimus finis hominis, quem omnes homines naturaliter desiderant, est beatitudo ... Ideo alii posuerunt aliam vitam esse post hanc, in qua homo tantum secundum animam vivebat post mortem; et

---

[1]) Cf. *Tertull.* apologet. c. 48. De carne Christi c. 11.

[2]) Memoratu dignum videtur, quod doctrinae omnino sibi adversantes: Pauli videlicet Apostoli et Sadducaeorum in eo conveniant, ut *spem immortalitatis ex fide resurrectionis diiudicaverint.* De Pauli sententia cf. I. Corinth. 15, 19. Sadducaei e contrario una cum resurrectione etiam spiritus et angelos existere negabant. Act. 23, 8. — Cf. etiam *Maier*, Entwicklung der Begriffe von *Ζωη, ἀναστασις* und *κρισις*. S. 11.

hanc vitam ponebant sufficere ad naturale desiderium implendum de beatitudine consequenda: unde Porphyrius dicebat, ut Augustinus dicit in lib. de civ. Dei (XXII c. 26): ut beata sit anima, corpus omne esse fugiendum; unde tales resurrectionem non ponebant. Huius autem opinionis apud diversos diversa erant falsa fundamenta. Quidam enim haeretici posuerunt omnia corporalia esse a malo principio, spiritualia vero a bono; et secundum hoc oportebat, quod anima summe perfecta non esset nisi a corpore separata.. Quidam vero posuerunt totam hominis naturam in anima constare, ita ut anima corpore uteretur sicut instrumento, aut sicut nauta navi: unde secundum hanc opinionem sequitur, quod, sola anima beatificata, homo naturali desiderio beatitudinis non frustraretur, et sic non oportet ponere resurrectionem"; quibus dictis addidit opinionem eorum, qui animum a corpore separatum Deo ceu spiritui puro similiorem fore existimabant; ac deinde respondit: „Tunc simpliciter loquendo est aliquid magis Deo conforme, quando habet, quicquid suae naturae conditio requirit, quia tunc perfectionem divinam maxime imitatur." [1]) Haec autem naturae humanae conditio requirit (quod idem s. doctor ex inclinatione animi ad corpus in Summ. P. I. qu. 75. artic. 7. et quaest. 76. artic. 1. ostendit) et efficit, ut neutiquam solius animi, sed totius hominis vitam aeternam exoptemus neque veram immortalitatem eam possimus existimare, quae ad alteram modo naturae nostrae partem pertineat. Ex iis nimirum, quae inprimis de mortis adversitate exposuimus, intima, quae animum inter et corpus existat societas, perspicitur, in qua aequalis est utriusque partis necessitas ad constituendam naturam humanam. Quod autem ad corpus praesertim spectat, haec pars naturae nostrae inferior nequaquam solius instrumenti vel habitaculi locum obtinet, sed ex consilio divino cum animo ita coniuncta est, ut mutua inde exoriatur idiomatum communicatio, neve quidquam ad corpus referatur, quod animi non intersit, et v. v. Ex intimo igitur cordis sensu eam solummodo veram immortalitatem naturae nostrae convenientem et exoptatam habere possumus, in qua genuinum et divinitus

[1]) *Thom.* Supplem. 3. P. Summ. quaest. 75. artic. 1.

constitutum animi corporisque consortium, remotis perturbationibus ex praesenti utriusque conditione oriundis, inseparabile atque in statum perfectionis evectum perseverat. „Quomodo enim felices, si ex parte perituri?“ merito interrogavit Tertullianus.[1] Nam appetitus vitae perennis toti homini insitus est, neque ad animum solum pertinet, sed etiam ad corpus, quippe quod se ex animi commercio super naturam caducam elevatum et in eiusdem personae societatem coniunctum sentiat. Corpus si omnino periret, natura nostra post mortem non amplius restaret, quum etiam animus separatus ob solam relationem et inclinationem ad corpus, quod reliquit, eiusque recuperandi fiduciam *humanus* dicatur.[2] Omnino denique nostri ipsorum conscientia, qua validior intimae essentiae nostrae testis non reperitur, quum ad hominem totum extendatur, animi corporisque operationem in se complexa, summopere nobis persuadet, eorum conditionem non esse separandam, quorum una sit conscientia!

Insuper autem ex hac indole conscientiae, quae corporis quoque operationes in se reflectit ac dirigit, necessario consequitur, ut vitae futurae non modo spes, sed etiam aut laeta aut tristis eius conditio ad totum pertineat hominem; eadem nimirum est conscientiae intelligentis et conscientiae ethicae (des Bewusstseins und des Gewissens) ratio et extensio; quae *ab illa* comprehenduntur, etiam *huius* iudicio merito subiiciuntur et sive praemio sive poena digna declarantur. Vita naturae, in se necessitati subdita et ab imputatione immunis, per societatem vitae et conscientiae animi meritis vel culpis huius implicatur, quum iam necessitate non amplius peragatur, sed ex consulto dirigatur, et, quae a nobis bene aut prave geruntur, non ab animo separato, sed ab homine integro perpetrentur, corpore vices instrumenti solius non obtinente, sed animi decretis revera cooperante. — In affirmanda hac iustitiae divinae ratione, quae immortalitatem gloriosam aut ignominiosam totius hominis, qui in terris degebat, necessario exigit,

---

1) *Tertull.* de resurrect. carn. c. 35.

2) *Ἀναστασεως γαρ μη γινομενης, οὐκ ἀν ἡ των ἀνθρωπων ὡς ἀνθρωπων διαμενοι φυσις. Athenag.* de resurr. no. 15.

iam antiquissimi resurrectionis apologetae operam singularem collocabant eosque refellebant, qui corpus una cum animo meritum et culpam contrahere infitiabantur. „Vita est enim causa iudicii“, inquit Tertullianus, „per tot substantias dispungenda, per quot et functa est . . . Adeo autem non sola anima transigit vitam, ut nec cogitatus, licet solos, licet non ad effectum per carnem deductos auferamus a collegio carnis . . . Nunquam anima sine carne est, quamdiu in carne est. *Nihil non cum illa agit, sine qua non est.* Quaere adhuc, an cogitatus quoque per carnem administrentur, qui per carnem dinoscuntur extrinsecus. Volutet aliquid anima; vultus operatur indicium: facies intentionum omnium speculum est. Negent factorum societatem, cui negare non possunt cogitatorum. Et illi quidem delinquentias carnis enumerant; ergo peccatrix tenebitur supplicio. Nos vero etiam virtutes carnis opponimus: ergo et bene operata tenebitur praemio. Etsi anima est, quae agit et impellit in omnia, carnis obsequium est . .“ [1]). Deinde obiectioni, quam supra memoravimus, responsurus adiungebat: „Sed cum imperium animae, obsequium carni distribuimus, prospiciendum est, ne et hoc alia argumentatione subvertant, ut velint carnem sic in officio animae collocare, non quasi ministram, ne ex hoc sociam cogantur agnoscere. Dicent enim ministros et socios habere arbitrium ministrandi atque sociandi et potestatem suae voluntatis in utrumque, homines scilicet et ipsos: idcirco cum auctoribus merita communicare, quibus operam sponte accomodant: carnem autem nihil sapientem, nihil sentientem per semetipsam, non velle, non nolle de suo habentem, vice potius vasculi apparere animae, ut instrumentum, non ut ministerium; itaque animae solius iudicium praesidere, qualiter usa sit vasculo carnis, vasculum vero ipsum non esse sententiae obnoxium . . Omne vero vas vel instrumentum aliunde in usus venit, extranea omnino materia a substantia hominis: caro autem ab exordio uteri consata, conformata, congenita animae, etiam in omni operatione miscetur illi . . . *Vas* capacitatis nomine dicta est (ab Apostolo sc.), qua animam capit et continet; *homo* vero de communione naturae, quae eam non

---

[1]) *Tertull.* de resurrect. carn. cap. 15.

instrumentum in operationibus praestat, sed ministerium. Ita et ministerium tenebitur iudicio, etsi de suo nihil sapiat; *quia portio est eius, quae sapit, non supellex.*"[1])

Resurrectio autem carnis, qua totum hominem in vita futura aut praemia aut supplicia experturum esse, quia *totus* in vita praesenti aut bene operatus sit aut male, edocemur, eo maioris facienda est, quo maius duarum erroris specierum viget periculum, quarum altera operationem humanam intra animum coercet, altera corpori plus, quam par est, attribuit; utraque autem naturae humanae essentiam aeque dilacerat eandemque cladem moribus infert. — Prius erroris genus in philosophia recenti apud eos exortum est, qui, ex distinctione Cartesiana substantiae cogitantis et substantiae extensae quum animi corporisque consortium explicare non possent, sola Dei operatione immediata animum in corpus agere posse censebant. Inprimis Arnoldus Geulinx, systematis causarum occasionalium auctor, eo progressus est, ut animum a corpore plane segregaret neque maiorem fere ad hoc, quam ad quodlibet corpus aliud relationem illi tribueret.[2]) Tali vero assertione quantum detrimentum industriae bonorum operum inferatur, sponte patet; quod etiam ipsa auctoris gerendi ratione confirmatur, qui, ex systemate suo ad neganda bonorum operum merita perductus, in eam quoque confessionem transivit, quae hanc doctrinam libris suis symbolicis sanciebat. — Similia iam multo prius apud eos reperiuntur, qui Spiritualismo perverso indulgentes corpus velut adversarium animi arbitrati non solum ex vita futura plenam totius hominis remunerationem, sed etiam ex praesenti bonorum operum studium, cuius radix a Cyrillo Hierosolym. in fide resurrectionis conspicitur,[3]) omnino auferebant.[4]) In hisce autem ulterior simul accedebat assertio, per

[1]) *Tertull.* l. c. cap. 16.

[2]) Cf. *Tennemann,* Geschichte der Philos. Bd. 10. S. 309 f.

[3]) *Ἀναστασις ἐστι ῥιζα της ἀγαθοεργιας. Cyrill. Hierosol.* catech. 18. init.

[4]) Unde eiusmodi homines *Νεκροφοροι* a s. Ignatio Antiocheno appellabantur. Ad Smyrnens. c. 5. cf. c. 2. *Tertullianus* autem fatebatur: „Nemo tam carnaliter vivit, quam qui negant carnis re-

quam funesto erroris generi, quod loco secundo indicavimus, aditus pandebatur. Separatam videlicet animi corporisque conditionem qui praedicant, eo perveniant necesse est, ut arbitrentur, quemadmodum animus in corpus agere non possit, ita de corporis quoque operatione ad animum eiusque conscientiam nihil omnino pertinere.[1]) Huic autem sententiae mox succedebat altera, ex qua, quidquid boni in nobis reperiatur, ad animum, omne vero malum ad corpus solum referendum esse docebatur. Hisce igitur opinionibus, (quae nostra aetate in formam scientificam redactae eo magis divulgantur) in iis, quae prave et flagitiose geruntur, efficacia multo maior, quam aequum est, corpori assignatur. Itaque non expedit, ut *scelerum* vindictam corpori quoque infligendam esse iis ostendamus, qui fontem malorum omnium ex solo corpore repetunt et hac de causa illud merito ab animo separandum et in sepulchro omnino exstinguendum esse censent. Videtur e contrario accomodatius, fautores huius sententiae commonefacere, quod *virtutum quoque operumque bonorum,* quae in vita praesenti perpetrentur, magna pars ad corpus principaliter pertineat ac sine eius commercio existere nequeat. Unde iniustitia et iniuria corpus hoc ab iis afficitur, qui sepulchrum et corruptionem velut sortem iustam ei assignant. Nam „ista caro, quamvis diversis vitiis appetatur multisque vulneribus lacerata subiaceat, ipsa tamen est, quae coeleste psalterium canit, quae gloriosos martyres facit, quae conditorem suum visitata promeruit, quae ipsa quoque vitalem crucem sancti Redemptoris accepit. Merito iam spiritualis futura creditur, quando et hic mortalis tanto munere perfuncta gloriatur.“[2])

Perspecta autem hac eminentia corporis humani sponte consequitur, ut, quum sapientia divina reparandae conditioni nostrae per lapsum pessumdatae providerit, hanc restaurationem non ad animum solum, sed etiam ad corpus extendere

---

surrectionem. Negantes enim eius poenam despiciunt et disciplinam.“ De resurr. c. 11.

[1]) Quae de hac re a Reformatoribus q. v. pronuntiata sint, vide ap. *Riffel,* Kirchengesch. der n. Z. Bd. I. S. 27. 1. Aufl.

[2]) *Cassiod.* de anima c. 11. Cf. *Tertull.* de resurr. c. 10.

voluerit. Absit igitur, ut tam arctos limites redemptioni imponamus, quam ii faciunt, „qui dimidiam agnoscunt resurrectionem, solius scilicet animae!“[1]) Christus enim — ut verbis Tertulliani utar — „ad hoc se venisse dicit, uti, quod periit, salvum faciat. Quid dicas periisse? Hominem sine dubio. Totumne an ex parte? Utique totum. Si quidem transgressio, quae perditionis humanae causa facta est, tam animae instinctu ex concupiscentia, quam carnis actu ex degustatione commissa totum hominem elogio transgressionis inscripsit atque exinde merito perditionis implevit. *Totus itaque salvus fiet, qui perit totus delinquendo. Quam indignum Deo, dimidium hominem redigere in salutem!* .. Diabolus validior in hominis iniuriam intelligitur, totum eum elidens: Deus infirmior renuntiabitur, non totum eum relevans?“[2]) — Revera deinde hanc reparationem ad corporum quoque conditionem pertinere, ex Salvatoris resurrectione evidentissime comprobatur; quam restitutionis nostrae futurae tesseram Paulus Apostolus in epist. priore ad Corinth. scripta ostendit; de qua Tertullianus quoque annotavit: „Qui fidem resurrectionis ... student inquietare, merito quoque carnem Christi quaestionibus distrahunt, tanquam aut nullam omnino aut quoquo modo aliam praeter humanam: ne, si humanam constiterit fuisse, praeiudicatum sit adversus illos, eam resurgere omni modo, quae in Christo resurrexerit.“[3])

Hoc autem nexu, qui inter resurrectionem Christi et nostram intercedit, a dignitate corporis humani generali ad eminentiam illam specialem transducimur, quae ex religione christiana ei contingit.[4]) Mundum enim corporeum in se non esse reprobandum, documento evidentiore evinci non poterat, quam eo, ut Verbum caro fieret; quod „nostram (carnem) induens,

---

[1]) *Tertull.* l. c. cap. 2.

[2]) *Tertull.* de resurr. carn. c. 34. *Richard. Vict.* de Emanuele Lib. I. c. 11.: „Apud Dominum misericordia et copiosa apud eum redemptio. Copiosa autem redemptio non esset, nisi reparator noster deiectum hominem ad plenum restauraret.“

[3]) *Tertull.* de carn. Christi c. 1. Cf. de resurr. carn. c. 51. *Aug.* de Trin. L. II. c. 17. *Thom.* S. P. III. qu. 56. artic. 1. *Dieringer*, System der göttl. Thaten II. S. 342—352.

[4]) Cf. *Tertull.* de resurr. carn. c. 8.

suam fecit; suam faciens, non peccatricem eam fecit.“ [1]) Celsitudo potius eximia naturae nostrae eo tributa est, ut Filius Dei eam assumere non dubitaverit; — eoque, ut in persona sua carnem nostram resuscitaret et transmutaret, monstratum est, corpora nostra transfigurationis non modo fore capacia, sed etiam participia. In Christo enim natura nostra Deo reconciliata atque ex morte in vitam transgressa est; eius, velut capitis resurrectio, membrorum quoque reparationem praeformavit. Vitae huius novae germen in Deo-homine generi nostro inserebatur; atque ipsa quoque corporum nostrorum substantia in Christo in vita immortali iam est constituta. — Praeterea etiam in communicandis redemptionis beneficiis sapientia divina corporis adminiculo utitur. Quemadmodum redemptio obiectiva a Christo in carne conversato, passo ac mortuo procurata est: ita corpori humano in redemptione etiam subiectiva partes tributae sunt, ut per actus in ipso perficiendos non modo significetur, sed revera conferatur vita reparata et homines Deo reconcilientur. „Caro abluitur, ut anima emaculetur; caro ungitur, ut anima consecretur; caro signatur, ut anima muniatur . . . “.[2]) — Dum vero hisce sacramentis vita praesertim spiritualis conditur et nutritur, in augustissimo altaris mysterio fons est apertus uberrimus, ex quo etiam corpora nostra vigorem trahant et immortalitatem. Relatio obiectiva et universalis, secundum quam Christus quodammodo velut alimentum perpetuum, quo genus humanum post lapsum a ruina consummata sit praeservatum, constitutus est, singulis hominibus in hoc sacramento revera applicatur, per quod corpora nostra ratione, qua interior cogitari nequit, cum substantia corporis Christi immortali ac gloriosa coniunguntur.[3]) Quomodo corpus humanum gustando prohibitam arboris escam in sortem naturae, supra quam erat elevatum, iterum deiiciebatur: ita ex parte adversa per panem Eucharisticum immortalitati futurae initiatur; corpus Christi est lignum vitae novum,

---

[1]) *Tertull.* de carne Christi, c. 16.

[2]) *Tertull.* de resurr. carn. c. 8.

[3]) Cf. *Maier*, Entwickl. der Begriffe von *Ζωη* ... S. 58—68.

cuius communione homines omni ex parte vegetentur, *φαρμακον ἀθανασιας, ἀντιδοτον του μη ἀποθανειν, ἀλλα ζῃν ἐν Ἰησου Χριστῳ δια παντος.*[1])

Mentione autem facta huius mysterii, in quo singuli resurrectionis venturae pignus suscipimus, commentatio haec sponte eo regreditur, unde cepit exordium. Admirabilis enim ille vitae divinae et humanae (spiritalis et naturalis) concentus, qui per Incarnationem in persona Christi effectus est,[2]) nonne per Eucharistiam ad mundum universum quodammodo continuatur,[3]) talique modo lex illa generalis initio proposita servatur, secundum quam unumquodque vitae genus ex vita emi-

---

[1]) *Ignat.* ep. ad Ephes. c. 20. Cf. *Justini* dialog. cum Tryph. no. 66. *Iren.* adv. haer. L. I. c. 16. no. 4. L. V. c. 2. no. 2. et 3., ubi inter alia haec consideranda proponuntur: „Quomodo carnem negant capacem esse donationis Dei, quae est vita aeterna, quae sanguine et corpore Christi nutritur et membrum eius est? Quemadmodum et beatus Apostolus ait in ea, quae est ad Ephesios epistola: Quoniam membra sumus corporis eius, de carne eius et de ossibus eius; — non de spirituali et de invisibili homine dicens haec (spiritus enim neque ossa neque carnes habet); sed de ea dispositione, quae est secundum verum hominem, quae ex carnibus et nervis et ossibus consistit, quae de calice, qui est sanguis eius, nutritur, et de pane, quod est corpus eius, augetur. Et quemadmodum lignum vitis depositum in terram suo fructificat tempore, et granum tritici decidens in terram et dissolutum multiplex surgit per Spiritum Dei, qui continet omnia; quae deinde per sapientiam Dei in usum hominis veniunt et percipientia verbum Dei Eucharistia fiunt, quod est corpus et sanguis Christi: sic et nostra corpora ex ea nutrita et reposita in terram et resoluta in ea resurgent suo tempore, Verbo Dei eis resurrectionem donante in gloriam Patris.“

[2]) „In illius inveniamur forma, *in quo tecum est nostra substantia*“ — ecclesia precatur in festo Nativitatis Domini.

[3]) Unde etiam in Missa et in Officio de ss. Eucharistia praefatio exitusque hymnorum a festo Nativitatis assumuntur. — *Hilarius* de Trinit. L. VIII. c. 13. de supra dictis ita disputat: „Si enim vere Verbum caro factum est, et nos vere Verbum carnem cibo Dominico sumimus, quomodo non naturaliter manere in nobis existimandus est, qui et naturam carnis nostrae iam inseparabilem sibi homo natus assumpsit, et naturam carnis suae ad naturam aeternitatis sub sacramento nobis communicandae carnis admiscuit? Ita enim omnes unum sumus, quia et in Christo Pater est, et Christus in nobis est.“

nentiore vigorem trahit, atque omnis vita creata denique soli Deo coniuncta evolutionis suae bravium et stabilitatem consequitur? „Deus“ (enim) — praeclaris hisce s. Augustini verbis toti commentationi nostrae finem imponamus — „vera et summa vita; a quo, per quem, in quo vivunt omnia, quaecunque vere et beate vivunt; .. Deus, a quo averti cadere est, ad quem reverti surgere est, in quo manere consistere est.“ [1])

---

[1]) *August.* meditt. cap. **31**.

Emendanda.

Lectores benevoli inter reliqua vitia typogr. corrigant quae sequuntur:

Pag. 19. l. 28. pro: que leg. quae.
- 26. - 24. - cho-ragus — chor-agus.
- 27. - 34. - sufffciens — sufficiens.
- 30. - 21. - absolutum — absolutam.
- 62. - 26. - ipse — ipsi.
- 75. - 20. *crediderim* omitt.
- 76. - 3. ani-madvertimus — anim-advertimus.
- 84. Nota [3]) — *γλεασθεν* — *πλασθεν*.
- — ibid. — *πνεσθαι* — *γενεσθαι*.
- 89. Nota [2]) addatur: bulla Bened. XII. a. 133[illegible] et decr. concil. Florent.
- 96. Nota [1]) pro: sententim lege: sententiam.

Ex typographia C. E. Elberti, Lipsiae.

BD Evelt, Julius
431 De vita
E8

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 10 02 03 08 021 6